

Pr
19

DE
**VANITATE
COSILIO-
RUM,
LIBER UNUS,**

In quo
VANITAS
ET
VERITAS,
Rerum Humanarum Politicis &
Moralibus rationibus clarè demon-
stratur, & Dialogicè exhibetur.

AUTHORE

STANISLAO LUBOMIRSKI,
Suprem. Regn. Polon.
Mares.

ANNO M DCC.

Herodotus Lib. VII.

Suadeo tibi Rex, bene deliberare, in qvō maximum est lucrum. Nam etiamsi aliter accidat: nihilominus tamen bene consultum est, & superavit fortuna Consilium. Qvi verò male Consilium cœpit, si fortuna ei arrisit, ille est quidem voti sui compos; sed nihilosecius male consultum est.

(6) 50

INDEX

CONSULTATIONUM.

CONSULTATIO I. De Consilio & Consiliariis.

CONSULTATIO II. De ferendis Legibus &
Statutis.

CONSULTATIO III. De Discordiis Civilibus, & unione
animorum.

CONSULTATIO IV. De Fæderibus & Colligationibus.

CONSULTATIO V. De Legatis & Legationibus.

CONSULTATIO VI. De Titulis dandis & negotiis Can-
cellarie.

CONSULTATIO VII. De Promotionibus & Distributione
Vacantiarum.

CONSULTATIO VIII. De Feudis dandis & Investituris.

CONSULTATIO IX. De modo excusandi se ab importunis
Postulatis.

CONSULTATIO X. De non omissendis occasionibus rerum.

CONSULTATIO XI. De tempore indicendorum Comitio-
rum Regni.

CONSULTATIO XII. De Congressibus particularibus Pro-
vinciarum, vulgo Comitiis assignandis, & Ordine
illorum.

- CONSULTATIO XIII.** De Comitiis Ordinum generalibus.
- CONSULTATIO XIV.** De Consilio Post-Comitiali.
- CONSULTATIO XV.** De Commissionibus instituendis.
- CONSULTATIO XVI.** De Contributionibus exigendis.
- CONSULTATIO XVII.** De arario & ejus ordinatione.
- CONSULTATIO XVIII.** De Causis & preparamentis ad bellum.
- CONSULTATIO XIX.** De formando Exercitu.
- CONSULTATIO XX.** De fortificationibus Locorum.
- CONSULTATIO XXI.** De inchoatione Belli offensivi, & diversis casibus bellandi, Consiliisque Bellicis.
- CONSULTATIO XXII.** De Causis Pacis, & Tractatu ejusdem.
- CONSULTATIO XXIII.** De acceptanda Mediatione Pacis, & circumstantiis in ea necessariis.
- CONSULTATIO XXIV.** De Tractatu Pacis, & coniunctione utili & proficia.
- CONSULTATIO XXV.** De Status regimine tempore Pacis, & ordinatione rerum necessaria.

(8) (50)

APPROBATIO.

VERITATI testimonium perhibiturus,
VANITATEMQUE consilio proscri-
pturus, Magnus ipse magni consilii Angelus ad-
venisti; ut pote inconcussæ Fidei Orthodoxæ ve-
ritati, Patriæ integritati, legum, Libertatisqve
Polonæ indemnitati consulere volens. Fluenta
hæc eloqvierum tuorum sera mirabitur Posteri-
tas, dum qvot arcana rerum leget consilia, tot
sapientissima agendorum omittendorumqve nu-
merabit oracula. Nec mirum! Gentilitius Tuus
SRZENIAWA, igneus rapidusqve Fluvius limpidis-
simos sanorum consiliorum dimanat fontes, qvi-
bus hinc vanitatem obruendo proterit, inde ve-
ritatem irrigando in cordibus Procerum conser-
vat. Qvod ex animi sui sententia vovet, ac ut
typis mandetur, concedit. Varsaviæ die 14.
Januarii 1700.

NICOLALIS SWIĘCICKI,

Episcopus Posnaniensis.

CONSULTATIO

PRIMA.

De Consilio & Consiliariis.



ANITAS. Pulcherrima omnium, & maximè Principi necessaria res est, Consilium. VERITAS. Fateor; si sciat vaticinari, quodnam succedet.

2. VAN. Ego valde amo Consilium. VER. Non primus es, qui illud tam laudabiliter admissi. Ego multos scio, qui amore Consilii Imperium perdidunt.

3. VAN. Consilium me salvabit. VER. Sicut infirmum multi Medici; qui in maximo Consilii sui fervore, de morte ægroti exactissimum nuntium acceperunt.

4. VAN. Sed bonos Consiliarios mihi eligam. VER. Fortasse ex Metoposcopia, vel Chiromantia cognoscuntur.

5. VAN. Sed eligam mihi Consiliarios probatos. VER. Tardum experimentum, velox periculum: sat serò disces, ex cuius Consilio pereundum tibi erat.

6. VAN. Ego tamen Consilium mihi formabo. VER. ô! quam anceps illud erit. Si ex Senibus? tardum, timidum, & irresolutum. Si ex juvenibus? præceps, impatiens, & raro solidum. Si autem ex Doctis? multiloquum, & pertinacissimum. Si ex indoctis? leve, incautum & impracticabile. Si ex divitiis? contumax & licentiosum. Si ex egenis? interestatum & corruptibile. Si ex Domesticis? adulatorium & servile. Si ex extraneis? minus partiale, & inde raro fidele. Si ex multis? longum, confusum, varium. Si ex paucis, vix plenum, & semper aliquid desiderans. O quam artificiosissima rerum innodamenta! ô quam sapientissima intenebramenta Veritatis! ô quam elaboratissima negotiorum impedimenta!

7. VAN. Sed ex multis sensibus unum bonum eligam. VER. Utinam fatius ex uno bono, multum; audivimus Sapientissimos quosque, quam multis pauca complexi sunt.

8. VAN.

ET CONSILIARIIS.

8. VAN. In arduis & difficillimis rebus reqviram multos, & qvidem prudentissimos Consiliarios. VER. Require potius duos tantum, & simplicissimos; occasionem & necessitatem. Brevisima tibi dicent, & facillime; & quidem plura ac utiliora; qvam strepitus multorum sermonum; inter se diu dissidentium.

9. VAN. Ecce jam Consilium mihi formavi: o qvam dignissimi viri! o qvam optimi Consiliarii. VER. Erunt mox indignissimi, si veridici vel infelices; pessimi, si mali haruspices.

10. VAN. Qvot sententias, tot audiam oracula. VER. Imo verius, qvot Oracula, tot ænigmata; qvæ non nisi post eventum intelligentur, cùm illa jam corrigere non poteris. Interim tam auscultabis, ac percipies frugalissimos omnium expensarum Patres, præterqvam Temporis; videbis accuratissimè oscitantes, tussitantes, dormitantes; audies, & obstetricaberis difficillimos oris partus, sermones sensusqve remotissimos; nihilqve intensius somniantes, qvam ne intelligantur. Dolebis materias incestuosis, siccissimè tractatas, nec exempla aut sententias ad rem, sed miseram rem ad sententias & exempla violenter adductam. Sedebis in officina, in qva omnibus aliis rebus intensissimè studebitur, præterqvam Materiæ; oblectaberis Romanorum antiquitatibus, Græcorum argutiis, Spartanorum moribus, hisqve omnibus ad satietatem imbuturis, & abundantissimè satisfactus, hoc unum tandem optimum, ac tibi saluberrimum prudentissimè concludes, ut qvantocius omnes desinant.

11. VAN. Ego tamen consulam. VER. Consule tecum potius, an consulere debeas. Plerique rem optimam, qvæ fine Consilio melius subsistere poterat, in Consilio destruxerunt. Cæsar in consilio perit, Pompejus Consilio Ptolomæi proditus, mortem habuit; Alexander Consilio Philippi venenum hausit, Roma cum Consilio Saguntum perdidit, Annibal ex Consilio Exercitum amisit. Sed quid vetera? Hispania propter Consilia Hollandiam cessit. Neapolis, Cyprus, Sicilia, per Consilia ad alienos Reges transfiere. Hetruria, consulendo libertatem amisit, & Vladislauis Quartus Rex Poloniae, nonne maximos Sacri belli apparatus consulendo delevit? Et quid pluribus opus exemplis?

12. VAN.

12. VAN. Ego jam consilium convocabavi. VER. Gratulor consummatissimum fastidium, exactissimam temporis jacturam, secretissimum nihil.

13. VAN. Ecce Camera Consilii. VER. Video potentissimae aquila exquisitissimam caveam.

14. VAN. Jam Consilium incipio. VER. Incipe feliciter hanc incertissimam artem Divinatoriam, sed magis ut animos hominum noscas, quam ut veritatem discas.

15. VAN. Claude fores, ne secretum efferatur. VER. Claude potius aures Uxoribus, Amasis, Concubinis, necnon confidentissimis Aulae parasitis & intriconibus.

CONSULTATIO SECUNDA.

De ferendis Legibus & Statutis.

I.

VANITAS, In primis formabo mihi Leges. VERITAS. Forma simul & homines, Facilius enim est præcepta dare, quam mores.

2. VAN. Sine Legibus Res publica stare non potest. VER. Minus stabit; si illis obruetur.

3. VAN. Qui non vetat peccare, cum possit, jubet. VER. Imo sepius docet, qui nimium vetat.

4. VAN. Ideo feram Leges, ut sciant quæ sint vetita. VER. Utinam satius nescirent; multi inhibendo Jus peccandi dederunt. Vetando, multi docuere vitanda. Desine (crede mihi) vitia irritare vetando.

5. VAN. Sed faciam Leges utiles & necessarias. VER. Fortasse potius dices fraudes veritatis, aucupia hominum, lucra interpretum, retia Judicum, speciosissima flagella Virtutis, honestissimas catenas libertatis. Qvotusne Leges formando virtutem respexit? se ipsum neglexit, Rem publicam cogitavit.

6. VAN.

6. VAN. Scribam Leges varias. VER. vellem scire, quales. Nam si arduas; nemo illas violabit, sed omnes; Si faciles, fine lege facient.

7. VAN. Formabo Leges multas, variis casibus servientes. VER. Circumspectior eris Moyse, felicior D E O , qui decem tantum Präcepta dedit hominibus tam necessaria, quibus paucissimi vix obediunt; Tu vero millenis Legibus tuis pretendis, ut unanimiter omnes obtemperent, faciliora erunt hominibus flagitia, quam Leges. Minus arduum erit Leges contemnere, quam discere. Formabis tibi Sinense Alphabetum, ex triginta millibus literarum compositum, sapientissima obstacula Virtutis. Tales leges timebunt omnes, sed magis, ne illas legant, quam ne transgrediantur. Tempus, quod dabis Legibus, eripies Virtutibus. Florescent Jura, marcescent homines, dum omnes non facienda tantum cogitabunt, nemo agenda.

8. VAN. Statuam Legem contra ambitiosos, ne possint ambitu turbare Rempublicam. VER. Ambitum non claudes, rixas aperies, cresceret Civium contentio, non cessabit ambitio. Ignem conto fodies, flammarum folle non sedabis, contra ventos vela facies, non dediscent omnes cupere, discent irasci, Fræna ambientibus non impones; Expones Rempublicam; palam facies, quibus coercendis impar sis. Cæsar Romanis non imperavisset, nisi de ambitu fuisset vexatus. Pompejo Regnum debet, quod ambitionem ejus patefecerit, quod potentiam lacepsiverit. Nec ideo & ipse aquior in Rempublicam fuit, quod Cæsari secrete & cum pudore ambienti palam & sine pudore verius invidit, quam obstitit. Nemo enim, nisi magis ambiens, de ambiente conqueritur; ambient omnes, ut nemo.

9. VAN. Legem faciam, ut Magistratus non sint perpetui. VER. Quod diutius non poterunt, facient sœpius & citius. Vtabis, ne rapinas differant in annos, admonebis, ut exerceant in horas. Nulla potestas gravior est populis, quam quæ metuit desinere. Brevi fortunæ moderari difficillimum est. Plato in Republica perpetuos Magistratus esse debere decrevit. DEUS Judices populo suo electo advitales & immutabiles præposuit.

Nihil enim iniqvius est, qvām justitiam vel curam Rerum publicarum qvæ stabilissima esse debent, continuis Magistratum mutationibus agitari. Qvis exculturus est fideliter agrum pro vere, qvem hyeme resignaturus fit; aut qvis equum saginaverit multo labore, qvi alium vehat, & fortè adhuc sibi temulum vel hostem. Nemo amavit qvod gessit, qvia justum fuit, sed qvia suum. Ergo Provincia semper exercebitur ab inchoantibus? nunquam à consummatis? Nemo tractabit Rem publicam ut suam, semper ut alienam? Continuò fluctuabit Regnum inter cupidos & imperitos? ac inter tot varios, multosqve denuo errantes; nec illud solum restabit populo dulce solatium damnorum, posse habere unum, qvem accusent. Et qvod maximum: unius virtutes facilius Res publica præmiabitur qvām multorum castigabit flagitia, facilius unius implebit cupiditatem; qvām sufficiet vicissim sibi concessæ avaritiae.

10. VAN. Uno verbo colligam Leges exactissimas, ut nihil desit, cui obedere possint. VERIT. Breviorem te viam docebo. Jube qvod cupias, ut vitent, veta qvod volueris, ut faciant.

CONSULTATIO TERTIA.

De Discordiis Civilibus, & Unione animorum.

1.

VANITAS. Discordes sunt in Republica Civium animi. VERITAS. Malè est, si boni, bene, si mali. Discordia malorum, securitas est bonorum. Boni diu discordes, Mali diu concordes esse non possunt. Ad qvid igitur allaboras circa pri-
mum, qvod per se fiet, circa vero alterum, qvod impossibile est, ut fiat.

2. VAN. Sed discordiis corruet Res publica. VER. Plures desidiosâ concordiâ perierunt. Discordia Elementorum, Mundi vitaqve est harmonia. Tunc planè interire mundum necesse erit,
cum

cum ad æqualem quietem omnia devenerint. Non minus dam-
nosa est Navigatori nimia malacia, quam tempestas. Non pro-
greditur navis sine ventis, sed Gubernatoris prudentia novit ex-
ventorum varietate vela moderari.

3. VAN. Ego volo discordias componere. VER. Video,
qvod velis aquas cum flammis conjungere in unum, æra sine
nubilis, nubes sine tonitru, esse desideras.

4. VAN. Ubi concordes fecero Cives, juvabunt Consilio
Rempublicam. VER. Respuent concordiam, quibus utilior fuit
discordia, quam Respublica. Difficile est inter Honestum & utile
medium invenire.

5. VAN. Ego tamen curabo, ut sint amici, qui erant di-
scordes. VER. Cura potius, ut virtuti sint amici, tunc erunt &
inter se. Constringe prius animos, ut fine Virtutis amicitias co-
lant, non spe utilitatis. Quomodo concordes facies, quorum
cupiditatibus longa spe materiam præbueris ad invidendum: ma-
joris discordiam cessare facit, servitus aliena; minoris, æquali-
tas. Difficile est mentibus diu ad discordiam edoctis æquale
pondus dare: Tu autem studuisti multo temporis spatio discor-
des habere, quos in momento concordes reddere ad labores. Re-
volve, quibus dedisti alimenta superbiae honoribus, qui in suo
gradu stare poterant concordes, quibus innata mediocritas mo-
derationem dedit, abstulit potentia: Diuturnis vitiis depravatos
animos, & longa mutatione conditionis deformes, ac inde inter
se disformes, in vanum transformare studes. Qui multis fortuna
erroribus diu ab amicitia desvererunt, impossibile est in puncto
amicos fieri. Tolle prius occasiones cupiditatum, & auferes
instrumenta rixarum.

6. VAN. Componam discordias, ne turbentur Consilia.
VER. Si inter se non concordabunt, fac saltē, ut tecum con-
cordent: qui erunt iidem uni tertio, erunt iidem & inter se; si
prius amicos non feceris tibi, quomodo illos amicos aliis te factu-
rum speras? si te vere amaverint, & tuum Consilium non turba-
bunt, quod tu amas, etiamsi inter se dissentiant.

7. VAN. Utar variis & potentissimis mediis ad reconcili-
andos

andos animos. VER. Vellem scire qvibus? si spe, periculorum est. Longa spes docet errare, delusa, odiisse. Si promissis dubium est; oculatas habent manus, non nisi qvod vident, credunt. Si metu? potentes facies calcitrare, debiles desperare.

8. VAN. Ego tamen concordiam persuadebo. VER. Bene svadebis, si ab illis amaberis. Nulla potentior est persuasio, qvam si ille, qvisvadet, amatur. Primo cum, ut ipse ameris, deinde alios amicitiam doce.

CONSULTATIO QVARTA.

De Fäderibus & Colligationibus.

I.

VANITAS. Cum Principe vicino & amico fædus sanciam; & in colligationem intrabo. VER. Cogita statim, qvomodo & exeras. Multi potentiores amicos nacti, in servitatem regnum tradiderunt.

2. VAN. Sed contra hostem opus mihi est fæderato Principe. VER. Si debilis erit, in periculum secum trahet. Si fortis, habebis cui servias, qvi liber eras; anteqvam hostem vincas, novum inimicum expecta. Multi, qvibus deerat inimicus, ab amicis oppressi sunt.

3. VAN. Sed formabo conditiones fæderis. VER. Dic potius, Lapidès offensionis, occasiones exprobationis, causas mali, qvas incautus tibi scripsisti: Si vinces; habebis iniquum tecum divisorem prædarum: si perdes; audies accusatorem sine auxilio, & postqvam cum inimico finem feceris, incipies rixas cum amico: revolves articulos pactorum, unde plus colliges, qvantum ignarus erraveris, qvam qvantum Victor possederis.

CON-

— 10 —

CONSULTATIO

QVINTA.

De Legatis, & Legionibus.

I.

VANITAS. Deliberandum mihi est, an mittere debeam Legationem ad Principem amicum? VERITAS. Facilius tibi erit invenire Legatum, quam amicum.

2. VAN. Ideo etiam mittam Legatum, ut me certiorem faciat, & exploret amicitiam istius Principis. VER. Ego autem metuo, ne iste explorator prior exploretur, Segnius observatur Domesticus; quam hospes. Facilius cognoscitur a multis oculis unus, quam ab uno oculo omnes: nemo accuratius cernitur, quam qui expectatur.

3. VAN. Sed mittam virum prudentem, & eloquentem Oratorem. VER. Velle scire, quibus in negotiis. Si enim serviet voluntati illius, ad quem missus est, audietur & laudabitur. Si vero petet auxilium, non erit Orator, sed Morator. Prius enim inimicus veniet, quam Orator ab amico expediatur.

4. VAN. Sed qualibet Septimanâ mihi scribet de successu rerum. VER. Non dubito, quod multa ab illo leges, sed pauca colliges. Multa scribet incerta, plura affectata, plurima perplexa; si tarde nuntiabit; segnem experieris. Si citè mendacem. Multi gravissimi Virorum per velocissimum Nuntium longissima mendacia scripserunt. Plurimi Virorum capacissimi, adhuc non certa scribere metuentes, jam tarda & inutilia nuntiaverunt. In utroque ergo imperfectum informatorem habebis.

5. VAN. Sed multa prudentia & dexteritate sua persuadet, & negotia perficiet. VER. Sat tum temporis prudens erit, si ante infectas res tempestive redierit. At si prudentiam ejus ex multitudine Literarum mensurabis, tu imprudens, ille felix quod nisi agendo plura tibi, quam illi ad quem missus est persuadet. Tunc securè in laudem Oratoris tui exclamare poteris, ô virum sapientem! qui tam exactè nihil fecit. Interim tamen accipies

ab illo diffusissimas scripturas , qvæ plus negotii tibi dabunt , qvā dicent. Scribet occultis notis , res sine clave apertas , eris qvæ ab illo optimè rebus imbutus , pessimè satisfactus. Leges multa folia , paucos fructus , plus cogitabit qvo gradu sedeat , qvā qvo negotium tuum hæreat. Omnes Epistolarum ejus parentheses divagabuntur circa Laudes diligentiae suæ , omnes periodi terminabuntur in Spe & difficultate , pessimis expectantium scopulis. Vela tamen ventis implebuntur ante naufragium ; Expedietur tandem cognita post longam moram Fortuna tua , qvæ si bona fuerit , auxilium tibi declarabitur , qvo jam opus non habebis , proprio successu contentus , & gratias ages ; sin vero mala , opem habebis tardam , & importunam , qvæ te implicabit potius , qvā juyabit , dabiturqve tibi esca , ut capiare.

6. VAN. Ego tamen spero , qvòd Legatus portabit mihi multa utilia. VER. Nihil tibi poterit utilius portare , qvā Doctrinam cautè fidendi. Portabit & literas responsorias , titulis plenas , & effectu vacuas : in qvibus apud te dexteritas Legati commendabitur. Et justè : qvia illi utilior fuit , qvā tibi. Rogaberisqve ut talem semper mittas.

7. VAN. Ego tamen Legatum mittam. VER. Discedat feliciter ad hanc Scholam , ut ibi discat illud , qvod Evangelium negat : Quomodo duobus dominis servire.

8. VAN. Quid ergo faciam , si Legatum non misero. VER. Mitte potius ad illum famam potentiae tuæ , exercitū semper parati & bellicosi , præparamentorum sufficientium , certitudinem roboris , terrorem tui ; & non erit tibi opus expedire Legatum , qvia alii Legatos ad te mittent. Ita non aliena expectabis respsnsa , sed dabis tua.

CON-

CONSULTATIO SEXTA.

De Titulis dandis, & negotiis Cancellarie.

1.

VANITAS. Qvalem dabo titulum huic Principi, nondum apud me determinavi. VERITAS. Da illi: Jovi, Optimo, Maximo, duimmodo faciat, qvod tibi interest. Nil refert tibi cogitare, qvomodo illum appelles, sed qvomodo ab illo qvod petis obtineas.

2. VAN. Nolo illi dare plus, qvam illi competit. VER. Non considera id, qvod illi competit, sed qvod tu ab illo petis: si ab illorem postulas, qvomodo illi verbum recusare potes.

3. VAN. Vellem scire, quo titulo illum tractent alii Principes. VER. Anteqvam iuvenies titulum, perdes amicum; & si malum inveneris & incompetentem titulum, pariter offendes: mensurabis umbram, ponderabis fumum, & negotium cum illo, quo tibi maximè opus est, omittes.

4. VAN. Jam fortasse illi dabo titulum serenitatis. VER. Si illi hoc dederis, similis eris DEO, qvi petitur ab hominibus: dona nobis serenitatem.

5. VAN. Satis credo erit, si me ad illum subscriptero, verus, vel bonus frater. VER. Optimè & justissime. Multi enim sunt falsi fratres, multi mali: Idem fortasse esset, si uno verbo subscriberes, rarus frater. Qvia boni & veri, rarissimi sunt in Orbe.

6. VAN. Ita credo satis erit. VER. Etiamsi non erit satis, fac plus, ut satisfiat. Nemo amicorum discretius prætendit, qvam qvi verba exigit. Horum parsimonia semper inutilis est; liberalitas multum valet. Memini qvadam vice, cum Consiliarii Cameræ cujusdam Regni, qvorum mihi intererat; offendisse putarent qvòd titulum Excelsa Cameræ illis non dedissem; dolui, & promisi me illis semper in posterum scripturum: ô gloriosa Camera, excelsa super sydera. Felix est ille nimirum Pharamcopola verborum, qvi amicis decem uncias valentibus, centum verbosi honoris libras dare potest.

CON-

CONSULTATIO

SEPTIMA.

De Promotionibus, & Distributione Vacantiarum.

I.

VANITAS. Vacat dignitas. VERITAS. Non dubito: pauci enim sunt digni.

2. VAN. Ideo cogito & delibero, cui illam conferam. VER. Si diu cogitabis, concitabis multos, priusquam unum obligabis. Si vero breviter, facilè errabis. Utrumque ergo tibi cavendum est. Et sicut in mari metuenda sunt multæ procellæ, ita in statu spes multorum. Sæpe deteriora sunt diu spernantium, quam breviter desperantium ingenia.

3. VAN. Habeo jam in pectore Virum dignum, cui conferam hoc Officium. VER. Credo, quia scis, quem habeas in pectore, sed nescis quid ille habeat. Multos melius indicavit Officium, quam natura. Plures clarius vitia, quam oculi.

4. VAN. Sum certus, quod in electione non me fallam: quia optimè novi subjectum. VER. Bene facies, si nosti; sed si ille te prius cognovit, non tu te falles, sed ille te fallet.

5. VAN. Assecuro. quod est Vir Prudens. VER. Non potes dicere, quod sit, sed quod possit esse. A posse ad esse longissima distantia est. Sæpe qui ante Officium apparuerunt prudentes, disparuerunt in Officio; alii infelices, pro imprudentibus visi sunt. Quidam fortuna stultos fecit, & quidam sapientes.

6. VAN. Uno verbo, hic Vir multum mihi placet. VER. Multis obfuit, displicuisse Principibus; plurimis nimium placuisse.

7. VAN. Sed ille Vir est probus. VER. Mallem, si dices, probatus. Si illum laudas, antequam illi contuleris, nimis tempestive. Si vituperas, postquam evexeris, nimium tardè. Ita difficile cognoscuntur hominum ingenia, ut nunc facilius sit vias astrorum investigare, quæ remotissima à nobis sunt, quam vicinissimas hominum. Probitati nullus est locus in rebus, quæ ex successu probantur; erit mox improbus, si male successerint.

8. VAN.

8. VAN. Sed est Vir constans in rebus. VER. Ubi vidisti Nautam sapientem ad unum semper ventum vela vertere? Tempore statim parendum est, non resistendum, nisi velis rem constantissime perdere: & ille etiamsi sit constantissimus, non voluntariè fiet non constans, sed necessariò; & si constantiam nimium contra rationem Statū manuteneret voluerit, jam non constans, sed pertinax vocabitur: nihilque illi restabit, quam ut amore constantiae miserrimus dicatur, eritque in sua constantia sibi glriosus, & tibi perniciosus.

9. VAN. Ideo illi conferam hoc Officium, quia est Vir magnae authoritatis. VER. Optarem tibi ut potius esset fidelitatis, pauci sunt, qui authoritatem ab ambitione sciunt discernere, nisi forte authoritatem in eo præsumant, ut omnium rerum autores soli esse velint, & optimorum Consiliorum (quorum non ipsi autores) inimici: Talem authoritatem nolle illum habere.

10. VAN. Cui ergo conferam, quia hunc solum scio optimum esse. VER. Optimum illum esse putare potes, scire non potes: solum verò illum esse, nec similem habere, idem est, quod pessimum fieri. Hoc tibi ipsum metuendum est, ne solus sit talis, quales esse debent plures. Hoc igitur illi obest, quia non habet parem. Et quod tibi periculosius est, non patietur habere. Unde prius quare illi similem, si invenieris, confer; si non, da alteri, qui alios sibi pares, vel saltem unum parem habeat. Ut homines tutò eligas, oppone naturam naturæ, Virtutem Virtuti, potestatem, potestati.

CONSULTATIO OCTAVA.

De Feudis dandis & Investituris.

I.

VANITAS. Erigam Feudum ex Provincia remota, quam commodè tenere ipse non possum. VERITAS. Eriges Cri-

C

cristas Amicis & Vicinis, aperies oculos inimicis, seminabis tibi bellum, ex terra deserta nasciturum, quando minimè speraveris.

2. VAN. Uno verbo, inställabo & faciam ibi Principem Feudatarium. VER. Facies Vicinis pulcherrimum scopum, ad quem omnes jaculentur; aperies portam Labyrintho, & eris Theseus inimicis tuis ostendens, per quod filum ad te perveniant.

3. VAN. In summa, habebo sub me Principem Feudarium. VER. Metue statim, ne possit esse supra te, vel alii supra illum; & scabellum fiat illorum, qui ad te ascendant. Si es fortis, poteris habere inimicum, si debilis, non poteris habere auxiliatorem.

4. VAN. Mittam illi hoc vexillum, in signum obedientiae & dependentiae a me. VER. Non dubito, illi gratissimum erit, quia illud servabit exactius in Archivo, quam conditiones tuas in corde; continuò de te cogitabit, sed magis quomodo a te liberetur, quam quomodo confinia tua liberet ab incursionibus.

5. VAN. Sed ego observabo eum, & cautus ero. VER. Impunitissimam occupationem ipse tibi parabis, ut habeas aliquem, a quo caveas? Hucusque timuisti inimicos, nunc timebis & amicum. Salubrius tibi erat ex ista terra, quam dubiose & periculosè armasti, desertum fecisse, quod per difficultatem transitus, comatum penuriam inimicum amovisset; quam parare hostibus tuis vicinis horreum perpetuum, quod semper defendere tenearis: ut illos tibi ex remotis hostibus, viciniores reddas. Habebis semper expensas, ac pericula semper cogitabis, ut pro illo promptas teneas suppetias. Si illum juvabis, bellum tibi parabis; si non, vel inimico cedes; vel neutralem facies. Qui justissimus erit gradus tibi minimè obediendi, vel fine te cum hoste transgredi. Si eventus illi bene successerit, tu illi potius fies obediens. Si male: eritis ambo hostibus, habebisque fidelem socium, cum quo simul pereas, vel infidelem, qui in malum tuum crescat. Revolve miserias Feudorum, Transilvaniam, Valachiam, Moldaviam, Neapolim, & alia Europæ Regna, quæ te meminisse juvabit.

6. VAN.

6. VAN. Jam deliberavi & concludo, qvòd Feudum hoc erigam, & creabo Feudatarium Principem. VER. Erige feliciter & gloriose hanc scholam pro inimicis tibi nocendi, & crea hunc Ludimagistrum, cum qvo tibi perfectissimè nocere exerceantur, vel illum doceant,

CONSULTATIO NONA,

De modo excusandi se ab importunis Postulatis.

I.

VANITAS. Invenire modum non possum, qvomodo me excusem ab importunis postulatis, qvæ mihi adferentur. VER. Excusationem à te meretur, qvi inimicus est: qvi amicus, ipse te excusabit.

2. VAN. Sed nescio adhuc præcisè quid à me petet. VER. Qvalecunque est, qvod à te petet, jam scimus qvomodo illi concedes, sed nescimus, qvomodo illi neges,

3. VAN. Inveniam tamen modum, qvomodo me excusem. VER. Potius prævenias illum rogando, ut si negaverit, non te excuses, sed illum accuses, ut in hac postulatorum lucta prior sis, qvi petitorem vîncas. Prius cura, ut ille tibi recusat, qvod non vis, qvòd æquius illi neges, qvod ille vult.

4. VAN. Sed timeo perdere amicum, si negavero, V E R. Tantundem, imo vilius perdes, si nolens concesseris; qvod negare non potes, da prius qvam petat, pulchrius donabis, qvam concedes. Gloriosius est lucrari amicum, qvam servare; multis præstabis, si illi, per qvem multi obligantur.

5. VAN. Fingam me impeditum esse, ut subterfugiam occasionem petendi. V E R. Prius cogita de modo, qvomodo hoc figmentum tuum non cognoscatur. Bis offendes, & fingendo & negando, ingeniosissimè non effugies, & fugies ignominiosissimè, sicut illi, qvi solent ex certamine, hoste nondum viso.

6. VAN. Fortasse petet à me aliquod beneficium, vel professe, vel pro amico. VER. Non hoc metuendum est tibi, sed ne veniat tertius & quartus, qui à te idem petat; expectabisque modum in uno, quomodo multos offendas. Si eligis dare, da certè; Si debes, da libenter.

7. VAN. Aut petet à me auxilium contra inimicum. VER. In hoc punto facillima tibi erit resolutio. Quid si non habes copias ad succurrendum, sine offensa negabis. Quid nemo dat, quod non habet. Si habebis, quare non indigetas, nihil optatus tibi erit, & commodius, quam militem tuum in aliena terra alere: utrumque opportunè facies, vel negabis sine illius offensa, vel concedes sine tuo-damno. Si verò indigebis, tanto facilius te excusabit necessitas tua.

8. VAN. Potest etiam fieri, quod petet à me instantiam ad aliquem Principem pro se, vel amico. VER. Hoc utinam tantum, quod omnium felicissimum est, semper instare, & nihil præstare; sic reddes meritissime talionem alteri, sicut alii ad te institerunt, & tu instabis: semper felix in eo, quod etiam nihil efficiendo obligabis; In hoc punto nolim, ut te à Postulatore abscondas.

9. VAN. Sed si petet à me succursum pecuniarium? VER. Terreor ad vocem tam inexpectati periculi. In hoc casu optarem te habere ad omnes aulas perspicacissimos exploratores, qui auritas excubias pro te agant; ut quam celerrimo nuntio premonitus, quam citissime ad tales prior expediatis, & pecuniam ab illo petas. Aliás enim, si te cum tali postulato infaustissime quispiam prævenerit, necessitatem incusabis, non voluntatem; inopiam, non parsimoniam; thesaurum, non animum: & quam promptissime Legatum expedes, quam humanissimis literis felicissimos successus exoptando; erisque verbis pro nummis liberalis: & si illi bene sine tua ope pecunaria res successerint, gratulaberis ex corde rem bene peractam, vel victoriam partam, & cum triumpho bis Diis ages gratias. Primò, quod Vicinus tuus vicerit extiteris; Secundò, quod sine ærarii tui dispendio, tam preclaras illi Lauros Dii concesserint.

10. VAN.

1o. V A N. Adhuc unam rem suspicor, ne me roget pro qvodam Adversario meo, qvi me graviter offendit, ut illi parcam. VER. Et quid inde; hoc nihil præclarus, qvod à te petet. Qvia ea re obligabis amicum, ad qvam te virtus obligat. Principem te esse scito, cuius sors ea est, ut tres literas P. P. P. semper ante oculos pro Symbolo habeat, ut discat, Prodeesse, Pati, Parcere. Hæc enim est Principum Conditio.

CONSULTATIO DECIMA.

De non omittendis occasionibus rerum.

1. V ANITAS. Multæ occasionses mihi præsentantur, qvas nol-
lem omittere. V E R. Divinatorem ergo te esse oportet,
qvam priùs arripere tibi melius & tutius fit. Multi capiendo
occasionses, capti sunt ab occasionibus. Optarem, ut in hoc oc-
casionum Labyrintho, unam eligas, ne à multis confusus erres.
Quandoqve satius est occasionses habere nullas, qvam multas.
Sæpè occasionses qværendo, invenimus casum, aliquando bono
nistro omittimus.

2. V A N. Sed timeo, ne fugiant mihi tam bonæ occasionses
rerum. V E R. Cogita bene priùs, ne tales capias à qvibus fugere
non poteris, cùm volueris. Secuiores sunt illi, qvi faciunt sibi
occasionem, qvam qvos sibi faciat occasio. Cave, ne credens
occasionem esse tuam, incidas in alienam. Occasionses scito esse
tanquam lapides, qvi colliguntur aliquando ut struant, aliquando
ut obruant. Aliæ occasionses veniunt, aliæ porriguntur. Qvas
fortuna offert, dubiæ sunt; qvas homines, suspectæ. Multæ,
falsæ sunt, aliæ cognoscuntur auribus, aliæ oculis, aliæ manibus.
Qvæ tanguntur auribus, & ex fama nascuntur, raro veræ, qvæ
oculis, fucatae; qvæ manibus, palpabiles; Harum omnium opta-
rem te esse nec Midam, nec Argum, sed Briareum. Sæpè enim

pro conjuncturis, conjecturas ponderamus, & multoties fines rerum, imperfecti Divinatores, non aspicioendo, sed somniando attingimus.

3. VAN. Sed venit mihi evidens conjunctura recuperandæ terræ, cùm Vicinus meus est imparatus, & bello ooccupatus. VER. Tantundem illi erit desperato, tecum, an cum aliis dimicare. Sæpè meliorem fortunam nimia calamitas dedit. Tu illum quasi depresso cernis, & non consideras esse melius exercitatum, Si in terram ejus desolatam ingressus fueris, alimenta tecum feres; quod grave est. Si in abundantem: hosti ejus panem eripes, quod zelosum; nec adhuc primum hostem experieris, & facies tibi secundum. Si solus bellum cum illo incipies inconsultis aliis ejus hostibus, eris suspectus, & invisus. Si verò cum sociis, eris non tui juris bellator; teneberisque in tuo jugo alienam fortunam expectare; si tardos socios habebis, perdes conjuncturas, quas queris. Si tu tardus, non habebis socios, sed accusatores. Si non expectabis, offendes. Si præstolaberis, omittes. Revolve præterea & rerum vicissitudines, & temporum, quantis res diuturnæ mutationibus obnoxiae. Dum tuam occasionem consideras, pondera & illam, quam Adversarius tuus habere potest. Occasiones rapere nostrum est, retinere non nostrum. Quæ moræ valescunt, moræ evanescunt. Occasio ob casum dicta est, & qui occasione se committit, committit se casui. Occasio ut ventus, yentus, est occasio navigandi, sed sæpè deserit alto mari, & qui plenis velis inchoavit, non semel fallaci stetit in anchora. Tu verò remis naviga, occasionem tibi dent vires tuæ, non alienæ. Et sic fortunam non captabis, sed parabis.

CONSULTATIO UNDECIMA.

De tempore indicendorum Comitiorum Regni.

VANITAS. Delibero, quod tempus indicere debeam opportunum inchoandis Comitiis Ordinum Regni hujus, VER. De-

DE TEMPORE INDICEND. COMIT. REG.

23

Delibera prius, qvas materias proponere debeas; ex rerum enim necessitate, temporum opportunitas colligitur: ut tempus bene impendas, prius finem meditare. Nemo feliciter inchoavit consilium, qvam qui mature prospexit finem: prius cogita qvid, & postea, qvando; res enim temporibus, & tempora aptantur rebus.

2. VAN. Crederem qvam tempestivè incipere, ne partes discordantes habeant tempus recollectionis. VER. Optimum Consilium, si vis decipere, non incipere. Ego autem putarem qvam longissimum dare tempus suspectis animis; ut prius ante Consilium bene agnoscas, qvid acturi sint, qvam in Consilio probes. Magnum tempus est, tanqvm magnum speculum, qvod quantò majus est, tantò plura in eo discernentur. Nulla mora est in eo Consilio, qvod probari debet peractum. Nemini profuit accelerasse, qui prius rem non maturavit judicio. Imparata differ, ut perficiantur, parata accelerata, ne destruantur. Sæpe modos, qvos ratio non potuit, tempus docuit: & multi qui rationibus non cesserunt, temporibus victi sunt.

3. VAN. Cogito, qvod tempus erit melius & importantius ex quatuor temporibus anni. VER. Cogitas quadraturam circuli, rem utilissimam, si scias quo fine. Qvodsi circulum anni sic in animo tuo divisoris, ut quadrent per gradus ad centrum propositi tui bene prævisa Comitia, tunc qvâcunq; parte anni inchoaveris, qvælibet tibi auspicata erit.

4. VAN. Sed vellem concludere Comitia hyeme, ut tempus rei bellicæ primo Vere non impediatur Consiliis. VER. Hoc velle potes, at promittere nescio si potes. Si enim abbreviabis Consilia, & prolongabis executiones, non impedies rem confusendo, sed nihil agendo: oberuntque tuis temporibus facta, non tuis factis tempora; ostendet Ver, qvam inefficaciter consulueris hyeme. Si verò Consilium tuum erit adæqvatum necessitatibelli, & media sufficientia stabiliyeris, nulla statio temporis obstatib progressibus tuis. Si etiam tempestivè Consilium feceris, & non adæqvaveris modos necessitatis tuae, ut bello sufficias, tempestivè etiam perdes. Melius tamen est (si præpostere consulere times) ut tua calamitas imputetur tardissimo omnium Consilio, qvam tua

tuæ festinatissimæ temeritati. Satiūs est ut serò vincas, qvam citò perdas. Quid refert? si dum lassus redibit hostis, tu recens incipias bellare. Malam fortunam primo vere effugies, bonam insequeveris Autumno; erisqve commutator temporum, non perditor.

5. VAN. Ergo tardè incipiam. VER. Nunqnam tardum, qvod utile, nunqnam serum, qvod securum, semper tempestivum, qvod firmum. Priusqnam de tempore concludas, delibera de re. Si res bene provideris, providebis bene & tempora.

CONSULTATIO DUODECIMA.

*De Congressibus particularibus Provinciarum, vulgo
Comitiolis assignandis, & ordine illorum.*

I.

VANITAS. Indicam priùs Comitiola Provinciis & terris.

VERITAS. Credo, qvòd indices facillimè congressum.

Difficilius indicabis media, difficillimè induces concordiam; omnes a te unam propositionem accipient, sed omnes non unum animuni habebunt. Committes multa prælia inutilium verborum, ut obtineas victoriam utilium rerum.

2. VAN. Mittam ad illos Oratorem cum Instrukcione ex Cancellaria. VER. Velle scire, venietne pro exponenda Materia, an pro forma. Adventus ejus erit miraculosus, qvia cùm apud te non fuerit, nec te forsitan cognoverit, à te tamen veniet. Perorabit disertissimè, in ulla re minùs instructus, qvam in sua Instruktione; & responsum accipiet, qvod tibi non portabit.

3. VAN. Proponam tantum viginti qvatuor puncta necessaria Regno, ut super illa consentiant, perspectis illis qvam optimè. VER. Vide viginti qvatuor literas alphabeti selectissimas, & valde necessarias homini; & tamen considera, qvantas ex illis dictiones contradictorias Grammatici formaverint, qvantam far-

farraginem verborum composuerint , inter se pugnantium: Qvot formaverint idiomata Lingvistæ ; qvot mendacia Poëtae , qvot conjurations Dæmonum Necromantæ , qvot etiam sancta & veneranda effata Evangelistæ. Ita fiet ex punctis propositionum tuarum. Pauca qvidem propones , sed expones multis & variis. Produces Materiam indigestam , ut fiat chaos , ex qvo possis creare , qvod volueris. Separabis lucem rerum , à tenebris verborum ; coæqvabis contrariorum rationes , ut facias tibi harmoniam universalem. In tanta rerum verborumque ac materiarum multitudine , contrarietate , & aliquando confusione , opus tibi erit confulere volumen Raymundi Lullii , de arte combinatoria. Qvia etiam res confusas & indigestas si scias intelligere , combinare , & ad emolumentum publicum convertere , pulcherrimum opus elaborabis. Sicut illi Mosaici compositores iconum , qvi ex frustulis diversissimis pulcherrimum opus conglutinant. Eruntque illæ omnes insimul materiae ad felicendum tibi difficultimæ , sicut illa semina innumerabili varietate secum mixta , qvæ Venus Psychæ ad segregandnm seponendumque dedit. Ibi videbis semina discordiarum , semina suspicionum , semina libertatis , semina belli , semina pacis. Qvæ omnia proderunt tibi , si singula miseris à parte , Propositio tua erit sicut tela Penelopes , qvam tanto conatu pulcherrimè contexisti de die ; distexetur de nocte. Et tamen retexendum tibi est opus , si bonus artifex esse velis : etiam si unum filum negotii tui remanserit : tu ad filum tuum reduc omnia , nec confundaris confusionibus multorum. Prius enim opus est ut pateant obstacula , qvam amoveantur. Prius investigatur omne arduum , qvam superatur. Nihilque vicit unqvam prudentia , qvod prius patientia non cognovit.

4. VAN. Intelligam qvid facto opus sit , ex articulis instructionis illorum. VER. Ego autem puto , qvð melius facies , si illa tantum , qvæ optas ; ostendes te intelligere ; qvæ autem metuis , finges te non intelligere. Ex articulis illorum componetur ossatura Comitiorum tuorum. Perfectum Anatomistam te esse necesse est , ne corpus Consilii producas monstrosum , nevè prodeat cubitus ante digitos , vel excedant thoracem costæ.

5. VAN. Hoc solum mihi bonam spem facit, qvðd expēdient ad Comitia Nuntios, Viros dexterimos, qvorum dexteritati instructiones committent. VER. Dexteritas à dextera dicta est, qvodsi illorum dexteritate bene dexterisare volueris, move dexteram tuam: cum dextera enim tua, movebitur dexteritas illorum.

CONSULTATIO DECIMATERTIA.

De Comitiis Ordinum Generalibus.

1.

VANITAS. Cras Deo dante inchoabuntur Comitia. VER. Cras etiam statim cogitandum tibi erit, qvomodo terminabuntur. Optimè inchoabis, si illa à fine incipies: nullae res sunt bene inceptæ in opere, qvæ prius non sunt finite in mente. Cras quidem bene inchoabuntur Deo dante, sed bene non finiēntur, nisi te dante.

2. VAN. Nuntii Terrestres ex Provinciis jam convenerunt in Cameram. VER. Gratulor! erunt cælestes: si concordes.

3. VAN. Omnes prius audiverunt Missam votivam de Spiritu Sancto. VER. Et tamen hucusque non videntur qvidqvam accepisse de septem donis, præter diversitatem lingvarum.

4. VAN. Credo, qvðd incipient à cognitione legitimatis Nuntiorum, qvod vulgò rugas vocant. VER. Rugæ ridere solent, cavendum est ne fiant nugæ. Satiùs vocandi sunt ad activitatem, qvàm arcendi, ne fortius cogantur de se consulere, qvàm de Republica. Multi, qvi Consiliorum non fuere socii, hostes facti sunt.

5. VAN. Deinde faciam propositionem in Senatu punctorum Consilii, per Cancellarium. VER. Considera? quantò plura puncta, tantò plura pericula, tantò plures remoræ, tantò plures praetextus suspicandi & diffidendi. Utilius eqvidem crederem, si illi tibi proponant, qvid velint, qvàm si tu illis proponas, qvod

qvod nolint; an ignoras Rerum publicarum genium esse, in malum suum sponte ire, in bonum suum ægrè duci. Fallenda est propriæ voluntatis opinio, imo tegenda, qvia Rectorum causæ prius cernuntur suspectæ, qvam justæ; diu rogandi Cives sunt, ut sua bona velint; vel prudenter decipiendi, ut sua mala nolint; aliquando majorem habet partem assensus publici, qvi negligenter desiderat. Vide ergo qvantum agendi periculum subeas in proponendo Consilio, in qvo & activitas suspecta, & infructuosa desidia.

6. VAN. Ad puncta propositionis Regiæ Senatus vota sua dabit. VER. Si concordabunt in unum, magnum erit documentum veritatis; si discordabunt; maximum detrimentum Consilit. Aperient materiam partibus loquendi, & occludent instrumenta bene agendi: docebunt sentiendi varietatem, qvod venenum est concordia: destruent concludendi brevitatem, qvod vita est negotii. Qui placere curabunt, non curabunt prodesse; qui disdiscere non metuent, studebunt offendere. Vide, qvantum in utroque navigio hæreat periculum naufragii! variis sentient, varia concludent, variè interpretabuntur. Optimis optima deerunt: modestis auditus, Consulentibus secretum, Facundis veritas, Prudentibus fides: unde verendum est, ne summa Votorum sit, facilia implicasse; & ardua non resolvisse.

7. VAN. Sed Senatus persuadebit media multum necessaria pro securitate & potentia Reipublicæ. VER. Multa svasit Marius, plura Fabius, Cato, & Brutus, viri consummatissimi, prudentissima & necessaria, qvæ eventus damnavit. Sæpe immaturè nimium svademuſ non svadenda, sèpius præparatissimis Consiliis res paramus alienas. Et arma, qvæ Romani contra Antonium paraverant, contra Rempublicam versa sunt.

8. VAN. Qværetur modus, & concludetur de tenendo qvam fortissimo exercitu, & punctualiter solvendo. VER. Et in hac re tam necessaria Reipublicæ, ambiguum tibi erit fructus. Qvia si auctorabis exercitum, eris suspectus Civibus, si non, eris contemptus hostibus. Deliberandum tibi erit, qvem metum habere malis, exterñum, an Domesticum? Maximum præterea impedi-

mentum rei, ab ipsa Republica, & quasi vix possibile, ut illi punctualiter solvere teneantur, quos libertas ad nulla teneri patitur; quibus contributio magis videtur tributum, quam stipendium. Unde Romani maturissimo judicio perpendentes, non posse se ipsis benevolè duci ad debita, distribuerunt Legiones in Provincias debellatas; quas ideo corpori Romanæ Reipublicæ non aggregaverunt, sed subditas esse voluerunt, ut haberent, cui jubarent; & distingueretur, à quibus Consilium, & à quibus obedientia haberetur. Ita & tu cum Republica, si non habueritis terras vobis subditas, quibus imperetis tributa, non poteritis tenere exercitus; quia nec vobis parebitis, nec habebitis, qui vobis parant. Nemo enim libenter solvit, nisi coactus, & idem quasi est, posse nolle, & non posse velle. Quia multorum libera voluntas promissis raro constat suis. Ita si prius publicos subditos non habueritis, nec arma publica habebitis.

9. V A N. Expeditis votis Senatus, Nuntii Provinciarum redibunt ad suam Cameram Equestrem, ut ibi forment Constitutiones necessarias Statui Reipublicæ, juxta desideria à Terris sibi per instructiones commissa: eaque deinde deferant ad Senatum, ut nemine contradicente stabiliantur. VER. Redibunt in Cameram suam Nuntii, non dubito. Sed redeunt etiam aquæ dulces in mare, & fiunt falsæ; redeunt & nebulæ in terram, sed fiunt nimbi & grandines, redit ver cum violis, sed simul florent & spinæ. Ita multitudinis Consilia, eundo degenerant in desideria; ex desideriis veniunt cupiditates, redeunt passiones, ex passionibus dissensiones, ex dissensionibus Consiliorum impedimenta, & sèpe illi, qui ad Consilium secesserunt facilitandum, redierunt ad impediendum.

10. V A N. Sed dixi, quia ibi formabunt Constitutiones valde necessarias Statui. VER. Multitudo animorum, non potest adferre Consilia, nisi multa, nisi varia; sèpius secum pugnantia, quam coherentia. Freqventius à multis adfertur, quod placet, quam quod decet; quod putatur, quam quod prodest. Quod placuit Ciceroni, displicuit Catilinæ; displicuit Cæsari, quod placuit Bruto. In hac discordantia voluntatum, o quantæ Consili-

filiorum procellæ! qvot Instructiones Nuntiorum, tot destruktio-
 nes negotiorum, tot jacturæ temporum, tot incertitudines eventūs.
 Ita enim dubia est bonarum rerum spes, multorum voluntati con-
 credita, ut possibilius sit multas res malas emendari ab uno,
 qvam unam rem bonam perfici à multis. Qvod si Constitutiones
 Regni formare velint, prius oportet illos sibi constare, qvam aliis
 constituere. Quid enim proderit gravidum Legibus volumen
 implevisse, si illa, qvæ loquuntur formulæ, mentientur clausulæ;
 & qvidqvad constituent codices, prostiuent appendices. Vide
 ergo qvam sit in hoc vana spes consulentium, qvalis combinan-
 tum discrepantia, qvanta periculorum vicinitas! sed & in his,
 qvæ tu dicas tam necessaria fore statui; pauca virtutibus, plura
 opinionibus, plurima casibus subiecta sunt. Rem optimam,
 qvam difficillimè perficit Consiliarius, facillimè inficit adversa-
 riis. Credisne in prolixitate Legum, utilitatem vel securitatem
 Reipublicæ inesse? vastissima Regna longissimum sibi funem ex
 Legibus suis necunt, qvo fortius strangulentur. Sed tu si vis
 longissima diu possidere, brevissima citò scribe. Citissimè enim
 statui effugere oportet sermonum suorum innodamenta. Nam in
 magnis ille plus egit, qvi locutus est minus: sèpè etiam Consti-
 tutiones, qvas Prudentissimi virorum in Orbe terrarum circum-
 spectissimè conscripsérunt, & qvæ visa sunt summè necessaria,
 in perniciem Rerum publicarum versa sunt. Revoca Græcorum
 Statuta, Legesque Romanorum. Horum imperia, in sua jurium
 pulchritudine involuta solennissimè sepulta sunt. Cautissimi
 Trojani incautissimè corruerunt: sapientissimè perierunt pruden-
 tiſimi Athenienses; improvise defecerunt, providissimi Spartani;
 Thebani rationibus mediisque suis instructissimi, instructissimè
 destructi sunt. O felix rationis simplicitas! sola vera necessita-
 tis & utilitatis ministra! nulli turpius desierunt, qvam qvi pul-
 cherrima locuti sunt. Non hoc cogitationis de Republica præ-
 cipuum opus est, multifariis ingeniorum ambagibns perdere
 tempora rebus, & eripere res temporibus, sed ea, qvæ sunt Rei-
 publicæ necessaria, citò velle; qvæ bona, citius cognoscere, &
 qvæ optima, citissimè exeqvi. S vadendi verò pariter bonis

malisqve , ars est communis; qvia & illi , qvi fallere volunt , persuationibus utuntur: nec ulla res est Consilio magis noxia ac deterior , qvam importuna negotiis fudentium & disfudentium fluctuatio ; ægrè enim ducuntur rationibus , qvi virtute non moventur , qvi autem moventur virtute , nou egent persuationibus , qvia seqvuntur judicium , & considerant necessitatem.

11. VAN. Ecce jam venit Eqvestris Ordo in Superiore Cameram , ut una cum Senatu concludat Comitia , qvinque dierum spatio. VER. ô admirabile opus Consilii! DEUS Omnipotens spatio sex dierum obedientie naturâ perfecit Orbem terrarum , illi autem natura repugnante , qvinque tantum diebus omnia se perfecturos existimant , qvae quadraginta diebus imperfectissime conceperunt. Noë etiam quadraginta diebus expectavit , ante qvam arcum ingredetur , & postea navigavit centum qvinquaginta diebus. Ex hoc verò tam vasto verborum opinionumqve diluvio , qvomodo possibile est tam brevi tempore in portu videri ; aperire tibi opus est multa , anteqvam concludas pauca. Qvomodo in qvinque diebus persvaderi poterit concordia his , qvi quadraginta affvererunt discordiæ?

12. VAN. Sed prolongabitur tempus Comiticorum , consentientibus omnibus Ordinibus. VER. Qvantò longius tempus disputationibus datur , tantò majus spatium assignatur dissensionibus : tantò pejor est hujus morbi curatio , qvantò longior dilatio ; nisi forte medicorum ingenium in tractanda Reipublicæ salute seqvi velis , qvi magis curant morbum , qvam ægrotum ; qvibus est utilius diu curare , qvam semel sanare ; qvorum studium est , multas crises advertere , non avertere unam mortem.

13. VAN. Qvomodo ergo finientur Comitia ; VER. Vel erit bene , vel male , vel nihil ; si bene , nondum bene , anteqvam cognoveris : si melius , adhuc non desit : finis boni imperfectus , sèpe principium est mali ; si male? nondum male ; si minus malum elegisti , ut effugeres majus : datur tibi experimentum prudentialia tuae , utrum scias malum convertere in bonum. Res nondum periit , si animus integer. Qvod ab animis destructum , animis reparandum est. Pauci futura cogitant , qvi præterita do-

dolent. Si verò nihil factum est; dubium tibi erit, qvod accuses, vel latides; malumne finem evasisti; an meliorem distulisti? Qvod non factum est, cura, ut fiat: qvod impossibile fuit, jam præteritum est: gaudet habes tempus cogitandi, ut possibilius virtute efficias futurum; qvod autem multorum culpâ factum est, Fatum voca.

CONSULTATIO DECIMA QVARTA.

De Consilio Post-Comitiali.

VANITAS. Post Comitia convocabo Senatum ad Consilium.
VERITAS. An non satis adhuc verborum expendisti, ut novâ conqvirâs, qvæ tam diu finiri posse exoptabas. Adhuc non plenè turbines ventosqe expertus es navigando, ut illis & in portu jam semilacera vela committere velis? Pandoræ tibi pyxidem aperiri cupis, ut illa evolent, qvæ bene conclusisti; si verò male; qvid tibi proderit utilissimo silentio sopita mala, in utilissimis sermonibus excitare? vis fortasse, res consensu stabilitas novis consulentium interpretationibus labefactari. Qui semel Consilium petit; veritatem qvarit, qvi secundò; móvet dubietatem.

2. VAN. Formabo Consilium Post-Comitiale: V E R. Ita formes posterius Consilium, ut anterius non deformes: facilius est res nondum aças formare, qvam transactas reformare. Velem te in hoc desiderio Jani facies habere, ut tangendo præterita, respicias futura. Bene conclusa, aut plus non attingenda sunt, aut melioranda. Imperfecti Pictores, sèpius meliorando perfectas icones destruunt.

3. V A N. Consilium Post-Comitiale necessarium est ad exeqvenda illa, qvæ in Comitiis stabilita sunt: si verò abrupta sint,

sint, ad remedia qværenda. VER. Illis, qvæ authoritate publica stabilita sunt, utilior est obedientia, qvam Consilium: mederi autem illis, qvæ jam facta sunt, difficultius est, qvam malè factis. Mortuis enim rebus magis convenit sepultura, qvam medicina. Cogitandum tibi potius est, qvomodo novo & salubriori rerum partu Rempublicam consoleris. Si exeqvendum est, jam disputandum non est, simplicissimus obedienti modus est omnibus; qvantò verò eruditior, tantò impeditior: proficuorum Consiliorum nulla major destructrix est, qvam nimia sapientia. Bis idem facere, non est idem: semper aliquid repetitis demitur, vel adjicitur in rebus. Res semel sancitæ ita redeunt ad Consilium, sicut illi, qui convaluerunt, ad Medicum; ut superfluis pharmaciae destruatur valetudo. Legi derogat, qui de sanctis interrogat. Plerumque optima rerum interrogando abrogamus, utilius ergo est, post Comitia in contravenientes judicium, qvam in res sanctas Consilium.

CONSULTATIO DECIMA QVINTA.

De Commissionibus instituendis.

I.

VANITAS, Expediam Commissionem valde necessariam. VERITAS, Credo, qvod expedit valde necessariam Commissionem; sed Commissariis, non tibi: probabilius autem est, illam tibi non esse necessariam, qvia res, qvas ipse agnoscere posses, aliis cognoscendas committis.

2. VAN. Sed ob distantiam loci, ipse adesse non possum. VER. Breve iter est in rebus propriis, longum in alienis. Nihil distare potest, qvod constare debet. Longum iter ad astra, imo impossibile, abbreviavit continuum sciendi studium; ut remota viderentur vicina. Si curabis, non distabis; multa nobis approxi-

proximat exploratrix diligentia, plura occultat negligentia vela-
trix; & vicina, facit esse remota.

3. V A N. Instituam Commissionem. V E R. Dic potius,
amissionem, & cogita, qvot Reges & Principes utilissimas terras
committendo amiserunt.

4. V A N. Assignabo Commissarios. V E R. Facias potius
Omissarios. O qvām anceps instrumentum est, alienis cognos-
cere propria oculis; sua, aliorum palpare manibus! ita facies
tibi continuum fidei exercitium, qvia necessariò credes, qvæ tibi
dicentur; & continuò sperabis, qvæ nescies; non cognosces res
tuas, nisi postqvam amiseris; clarius tibi patebit in alienis mani-
bus, qvid habueris, qvām in tuis, qvid habeas.

5. V A N. Per hanc Commissionem dilatabo confinia, &
recuperabo à vicino usurpata. V E R. Hæc Commissio nihil tibi
Prōderit, nisi ut solemnius perdas. Nemo res suas legitimè amisit,
nisi qvi illas priùs disputationi commisit. Nulla dubitatione
opus est illi, qvi de jure suo non dubitat.

6. V A N. Sed ego mittam Commissarios Viros insignes.
V E R. Justè sanè, ut præcipua perdas, præcipuos tibi viros ad
hoc mittere oportet.

CONSULTATIO

DECIMA SEXTA.

De Contributionibus exigendis.

VANITAS. Difficile mihi est excogitare modum Contribu-
tionum, ut sufficiant necessitatibus, & non aggravent popu-
lum. V E R. Non difficile tibi esset excogitare proventus,
si cogitares populum; qvia cogitando cognosceres, & cognoscendo
scires, qvid valerent, & qvid possent. Hic collige, quantum
noceat non didicisse vires populi, & nescivisse, quantum, vel
qvale, qvid habeas.

DE CONTRIBUTIONIBUS

2. VAN. Inveniam tamen modum Contribuendi. VER.
 Prius qvārēndū est, qvōmodo qvāras, qvām qvōmodo invenias: Tu autem prius invenisti necessitatē, qvām modū; melius est qvārēre modos, anteqvā opus fit qvām non posse habere, cūm opus fuerit. Ut scias genera Contributionū, scire te oportet prius genera populi, qvale p̄valeat lucro, qvale numero? Observa, qvid tibi prosint Urbani, qvid Mercatores, qvid agrestes, qvid extranei, qvid domēstici, qvid Merces ab extra, qvid ab int̄is provenientes; qvid in vectores, qvid evectores, qvid ab hominib⁹ exigas, qvid à rebus; qvid ab otiosis, qvid à laboriosis; qvos liberare utilius tibi est, qvām aggravare; qvorum luxus tibi sit proficuus, qvorum utiles propinationes, & qvot guttæ, tot nummi. Hæc prius videnda tibi erant, & ratione prævidenda, qvām necessitas præveniret cogitationes tuas: qvia exactius providetur & tutiū, dum exigit providentia, qvām cūm necessitas.

3. VAN. Ex multis agtis & subditis habebo copiosas contributiones. VER. Absit, ut ex agris qvidqvam prætendas, & ex visceribus terræ matris communis lucra qvāras, unde vitam & alimenta accipimus; vel cultores ejus, & laboratores pro nobis, veros homines, ullo modo enerves. Iniquum est, ut inde exsugamus sangvinem, unde sumpsimus. Hoc corpus nostrum est: exprimendi culices, pulices, & araneæ, qvi de corpore nostro lucra qvārunt, qvi de sangvine nostro vivunt. Qvi luxui solvunt, solvant & Reipublicæ; qvos liqvores reficiunt, reficiant & Rempublicam; qvibus leve est perdere privata, prodesse publico non sit grave. Horum major est numerus, qvām laborantium; ab his etiam plura colliges; cum per dentibus acqviros, sine injuria tibi proderis, sine gravamine lucraberis.

4. VAN. A Mercatoribus habebo multa telonia. VER.
 Primò cures, ut multos habeas Mercatores, deinde multa telonia, sed non nimia; qvia per telonia potes tibi perdere Mercatores, per Mercatores nunqvam perdes telonia. Stude, nt multos habebas, qvi tibi dent; & habebis, qvod tibi detur; multorum pauca, sunt unius multa. Emptor non sentit onus, qvod venditor im-

imponit. Libentius solvit luxuriae, quam Reipublicae. Superfluum ergo solvet Venditor, quod emptor projecerit, sic multum colliges ex eo, quod Venditori nihil est, Emptori insensibile; diminue potius telonia, ut augeas Mercatores, per quos multiplices merces, per merces pretia, per pretia utilitates; quia opulentior est luxuria necessitate.

5. VAN. Instituam quoque aliqua Monopolia, ex quibus magnam habebo utilitatem. VER. Hoc egestati publicae deest, hoc solitudini; ut unus multos dispergat. Ut multis auferas modos vivendi, uni tribuas potestatem desolandi. Ita male vendes publicam utilitatem aliena avaritia, & tuam non augebis. Amittes populum, vastabis Civitates, tolles commercia, auferes spem lucri omnibus; quae esca est populi, stabilimentum Urbium, fundamentum contributionum. Omnes incertos habebis Incolas, & semper quasi migraturos. Nemo enim major Adversarius est populi, quam qui solus esse vult. Sustenta potius quam plurimos, ut quam plurimi contribuant; & magis proficia tibi erit multorum aemulatio, quam unius cupiditas,

CONSULTATIO DECIMA SEPTIMA.

De Ærario, & ejus Ordinatione.

I.

VANITAS. Thesaurum mihi formabo quam exactissime.
VERITAS. Ærarium, quod avaritia claudet, referabit necessitas.

2. VAN. Habebo cassam duplicem, unam pro expensis, alteram pro deposito. VER. Facile est dividere casas, sed difficile mensurare necessitates. Quod colligit providentia, evacuat necessitas. Si ante tempus expenderis, quod collegisti, non unam cassam habebis, sed nullam; si post tempus, tantundem tibi est, ex una cassa male frui, quam ex pluribus.

E 2

3. VAN.

3. VAN. Sed distribuam per tempora expensas. VER. Ergo facies tibi potius horarium, qvām ærarium. Quid referet, qvā horā egeas? Esuriens qvælibet hora meridies est. Considera prius quantum, & qvoties necessitas coget ad erogandum voluntatem, qvoties voluntas producet vel frenabit necessitatem; si habebis in unā horā multa tempora ad erogandum, an plura vel pauciora ad colligendum, vel nulla ad retinendum, nil tibi proderit scire distinctiones cassarum in ærario, si una rapiet hora, qvod totus congregavit annus: nulli mendaciores sunt socii, qvām ærarium cum kalendario: si verò vis dividere expensarum rationem per arcas, plus turbaberis, si videris plura documenta furtorum ex qvalibet arca, qvām ex una. Quid refert? an conjunctim, vel separatim decipiari.

4. VAN. Sed inveniam modum, qvomodo defraudari non possim. VER. Facilius invenias exquisitos modos, qvām custodes probos. Scio, qvōd non deerunt tibi, qui nōrint optimè perfectissimis numeris funerare pecuniam.

5. VAN. Utar omni circumspectione & cautelâ, ne fraudetur ærarium. VER. Hoc nullatenus fieri potest, difficillimam Provinciam assumpsisti, habet, qui horreum mures, qui ærarium fures.

6. VAN. Sed omnia mihi Regestis verificabuntur. VER. Qvoties apparebunt Abaci, toties disparebunt nummi; qvot regesta perspicies, tot perleges defunctæ pecuniæ Epitaphia. Et sicut vita humana, unum introitum habet, multos exitus; ita & pecunia tua, multos morbos habebit; plures Medicos, à quibus pereat.

CON-

CONSULTATIO

DECIMA OCTAVA.

De Causis & præparamentis ad Bellum.

I.

VANITAS. Multæ Causæ me invitant ad suscipiendum bellum. VERITAS. Si potens es, facile causas invenies; si debilis, difficilè evitabis; facilius est invenire bellum, qvam gerere. Bellorum initia semper principio lœta, progressu dura, eventu dubia. Sed vellem scire causas bellandi, qvas habes? Multis adfuere causæ bellandi, sed media, paucis.

2. VAN. Prima Causa mihi est, qvòd vellem dilatare confinia. VER. Confinia, qvòd latiora sunt, hoc majori egent Exercitu, hoc crebrioribus præsidiis, hoc majori alimento, hoc frequentioribus impensis. Vide, si terram tuam, qvam possides, sufficienter providisti, anteqvam appetas alienam; ne ex contigitate inopie dilates potius confinia penuria, qvam Provinciæ.

3. VAN. Habeo & aliam Causam incipiendi belli, nimirum: ut Provinciam, qvæ Majoribus meis ablata est, recuperem. VER. Nolle, ut ex hac tua causa, alia nascatur magis metuenda, nimirum: ne potius perdas, qvod Majores tui non amiserunt. Diu deliberandum tibi est, an pro eo tibi conducat bellum suscipere, qvod majores tui alteri cesserunt, ne bellum haberent. Felicius qvandoqve præstat tenere proficuam pacem, qvam litigiosam Provinciam. Considerandum qvqve tibi est, ne propter dubiam recuperationem partis, à Majoribus tuis non sine notabili causa, prudenter abscissæ, totum Regni tui Corpus imprudenter bello inficias, unde verendum etiam sit, ne, qvod ab ortu Vicino tuo rapuisti, alter tibi ab occasu, eripiat. Plura enim in Orbe terrarum immutavit occasio, qvam vis; & non suspectos ex sociis hostes fecit. Revoca Græcos, ingeniosissimos calamitatum suarum inventores, qvantis periculis casibusqve ob ingenium & præcipitantiam bellandi, varie à fortuna jactati sunt; Unde Tragædus

exclamare coactus est: Qviçunqve Regno fudit, nec leves metuit Deos, animumqve rebus credulū lētis dedit; me videat, & te Troja. Romana qvoqve Respublica, propter nimium bellandi īgenium, Cæsares adepta est, Libertatemqve suam neglexit; maluitqve famam habere ab extra, qvām securitatem suam ab intra. Qvid dices de occasionibus datis alienæ potentiae, de excitamentis dormientium, de zelotypia, ambitu & dissensionibus cum Vicinis, qvi pessimi Parentes sunt eversionis Regnorum.

4. VAN. Et hæc causa non minus me inducit ad bellum, qvōd habeam numerosum Exercitum, qvem vellem in aliena terra collocare; ne illum alam otiosum. VER. Magis timendum est, ne qværendo locum, ubi vivat exercitus tuus, invenias potius ubi pereat: considera, vel loci angustias, vel sterilem vastitatem. Utrumqve anceps belli sustentamentum. Præterea consveta illa impedimenta magnorum conatum: Annonam difficilem, populū infidum, Milites vastatores, Anni injurias, excubantium incommoda, ægritudinum motiva, morborum pericula, aëris varietatem, eqvorum stragem, temporum difficultatem, in milite laetitudinem & externi soli tedium, incuriam terræ alienæ, & desiderium sua. Qvæ omnia felicem licet turbavere Macedonem, & super qvæ cogitans magnus olim sedit Aeneas, secumqve voluntans: deflevit eventus Belli varios.

5. VAN. Bellum gerere debo, ne otio & ignaviâ pereant. VER. Occasio dat felicia bella, ostendit viam agendi in magnis. Nemo felicia bella gescit, cui non dedit occasio consilium, si igitur in recta occasione constituis bellandi desiderium, magna tibi belli gerendi ratio est. Occasiones autem sunt, qvæ bellatorum ad bellandum compellunt. Justitia & necessitas cause, non pruritus famæ, sèpius fallacis. Non minus enim periculum est ex magna fama, qvām ex mala, succursus qvoqve moveat populi oppressi naturaliter ad te pertinentis, & subsidia tua presentis. Ille enim felix Bellator Provincie prætense fines ingreditur, qvem populus optat, non metuit. Si ergo bellum in vicinia gerere intendis, prius illi gratum, qvām fortē te exhibe. Nullus Bellatorum certius Terram adeptus est, qvām ille, cui in-

inclinatio populi, ad vincendum viam fecit. Quid si terram, quam ingredieris tuam esse vis; defende, excole, conserva, fortifica ut tuam; non ut alienam. Ut illam prius cordibus capias, quam manibus. Si itaque ad bellum gerendum te constringit occasio justitiae, & desiderium populi justa petentis, age feliciter. Sed si vanitas & fallacis auræ ambitionisque studium te impellit, deliberatorem te magis videre optarem, quam Bellatorem. Non minus quoque refert, ut bellum tuum justè eligas, quam ut bene pares: unde cogites, & quo robore vincas, & quibus präparamentis sustineas.

6. VAN. Omnia präparamenta ad gerendum bellum jam habeo parata. VER. Quæ intempestivè präparasti, non proficiunt in tempore: quæ verò tempestivè nimis, tempus consumet, & occasio te alibi conducet, ubi präparamenta non providisti. Multi magnos belli apparatus solicitissimis studiis hosti paraverant, non sibi.

7. VAN. Habeo pulcherrimum peditatum & numerosum. VER. Habebis numerosiorem ex eqvitatu tuo; postquam ex incommmodo belli eqvos perdidenterint.

8. VAN. Sed habeo & eqvitatum gravioris & levioris militiae. VER. Utrumq[ue] infructuosum contrâ impetum hostilem; si remotum unum ab alio tibi sit. Graves enim non prosequuntur hostem, leves non sustinebunt, & graviores deserentur à levioribus; & leviores non assistent gravioribus, hi nimium prævenient, illi non satis prosequuntur. Pessimum utriusque roboris detrimentum.

9. VAN. Habeo & officiales Generalesque, peritissimos belli Duces. VER. Bellum nemo unquam satis didicit. Habes ex illis & imperitissimos fortunæ tuæ aleatores quandoque liberalissimos præliorum amissores, & quandoque parcissimos armorum conservatores: utrosque tamen prudentissimos & innocensissimos honorum malorumque belli authores, & quorū fors cum Theologis convenit: quia cum bene & prudenter agant, nunquam tamen scire possunt, an odio vel amore fortunæ digni sint. Non semper enim audaces fortuna juvat, sape incitat animum, quod cele-

celerius perdat. Qvod bellicosus ille Romanorum Imperator fassus est: nunquam se tantum acquisitum victoriâ quantum auferre calamitas posset. Cujus rei documentum dedit sapiens fortunatusque bellator, ac deinceps infastus ille Annibal, Pompejusque infelix, & miser Darius.

10. VAN. Sed nihil incipiam sine Consilio bellico. VER. Nulla res incertius inter se convenient, quam consilium & casus. Quomodo ergo vis bellum, qvod continua casibus agitatur, qvod momentis constat, certitudine Consilii cum incertitudine occasionum temporumque combinare.

11. VAN. Occasiones mihi viam monstrabunt. VER. Scio equidem, quod viam tibi monstrabunt; sed Consilia tua non expectabunt. Unde maturitate Consilii juvari credes, inde tibi velocior Consilii aufugiet occasio. Unum tibi tamen ex his duabus bonum vel malum evenire spera; ut aut terram tuam sapientissime cum Consilio perdas, aut alienam temere fine Consilio acqiras.

12. VAN. Quomodo ergo sine Consilio bellum geram? VER. Hæc tantum observa & bellum gere: semper hostem prævenias, qvod credis illum à te metuere, hoc illi fac. Terram nunquam ingredere, ubi non est panis; & post prælium nunquam finas hostem requiescere.

CONSULTATIO DECIMA NONA.

De formando Exercitu.

I.

VANITAS. Nihil restat ad incipiendum bellum, nisi ut formem mihi Exercitum quam ordinatissimum ex diversis generibus militiae. VER. Facile est ordinare Exercitum, sed conservare difficile: qvot genera habebis militiae, tot differentias peri-

periculorum , tot varietates retardamentorum , tot obstaculorum casus , tot necessitatum impedimenta . Tarditatem peditum , ægræ feret eqvitatus , præcocitatem eqvitum , non asseqvetur peditatus ; qvod unus cupiet , alter odio habebit : qvot genera militiæ , tot naturarum & geniorum diversitates .

2. VAN. Sed pro diversa necessitate ac eventu bellandi , diversum qvoqve genus militiæ opponendum mihi erit hostibus . VER. Vellem satius ut duas tantum militias in mente haberes Eqvitem & Peditem : & non aliam necessitatem bellandi , qvam unius Exercitus victoriam . Quid refert ? an uno genere vincas , vel pluribus perdas . Multitudo formarum militiæ , separat magis bellorum Consilia , qvam conjungit . Et sœpe fit , ut cogitando , qvâ viâ , qvodlibet militiæ genus melius pugnet , totus Exercitus negligatur . Accedit præterea , ut qvodlibet genus supra aliud præcellere volens , sœcios alterius generis magis contemnat & conturbet , qvam juvet , ut qvi unum in bello censi erent , pro diversis censeantur , & unitatem victoriae distrahan , disformitate agendi . Qvi è contra unum robur cogitarent ; si unum genus se esse sentirent .

3. VAN. Hastatorum Cohortes habebo qvadraginta . VER. Egregium belli robur , si hastarum necessitas fuerit , si non : magnum agilitatis impedimentum . Qvodsi unum prælium conficiendum tibi sit , necessariò hastas semel confringes ; si plura , hastas non habebis : si nullum ? magnum impedimentum frustra tecum vehes .

4. VAN. Habebo & plures hastas pro secunda vice . VER. O grave lignorum onus ! sine certitudine necessitatis .

5. VAN. Formabo mihi qvoqve & Legiones Draganorum , ut illis utar & tanquam Eqvitatu , & tanquam peditatu . VER. Habebunt ergo naturam vespertilionis , qvi & mus est , & avis , & neutrum , & ex neutro utrumqve . Si eqvos concenderint , non habebis Pedites , nec (si descenderint) Eqvites ; magna illis erit distractio cogitationis in prælio , magis metuent perdere eqvos , qvam pugnam : & tu volens habere in eqvis Pedites , verendum , ne habeas Eqvites sine eqvis .

6. VAN. Uno verbo, qvotqvt genera sunt Militiarum omnia habebo. VER. Qvò plura genera habebis militiae, hoc in bello distractior eris. Quid refert, an multos authores cladis, an unum Victoriae habeas; malim, sicut unum te bellandi finem habere, nempe Victoriam; ita duo tantum genera Militiae: Peditatum & Eqvitatum.

CONSULTATIO VIGESIMA.

De Fortificationibus Locorum.

1.

VANITAS. Extriuam Arces & Fortalitia pro defensione Regni. VERITAS Sicut Magnes trahit ad se ferrum, ita Fortalitia hostem. Arces & Fortalitia sunt qvandoque invictamenta adversae fortunae: unde illa prudenter & opportunè fabrica, vel lapides relinqve.

2. VAN. Faciam Fortalitia in diversis locis, planis, montosis, aquofosis, saxosis. VER. Non loca, sed passus hostium considera; non propugnaculorum situm, sed inimicorum transitum. Illa optima Arx est, qvam necessitas opportuno plantat in loco; ita tu semper melius facies, si qvæsiveris non locum Arci, sed Arcem loco.

3. VAN. Faciam fortalitium magnum, ut multos milites capiat. VER. Desolabis Exercitum, & implebis fortalitium. Majus tibi erit Praefidium in Arce, qvam Exercitus in Castris. Prius à te ipso obsideberis, qvam ab hoste. Qvod pro Exercitu parabis alimenti, Praefidium consumet. Cave, nè, dum facies ex Arce Castra, efficias ex Castris Arcem.

4. VAN. Faciam etiam & parva Fortalitia. VER. Parva Fortalitia distrahunt Bellatorem, & attrahunt hostem; parum offendunt, & nihil defendunt: magis cogitandum tibi erit, quomodo

modo hostem repellas à parvo fortalito; qvām qvomodo hosti noceas ex magno. Facies tibi pulcherrimas caveas arte militari ornatissimas, ad occludendas vires tuas sine fructu. Incerta tibi erunt propugnacula Inimicorum, certissima oppugnacula amicorum. Parvum qvoqve fortalitium, parvos habebit Bellovardos, nullaqe defensio erit: qvia alae propugnaculorum vix tormenta capient, ob angustiam collocanda. Si verò Bellovardos magnos habuerint, cortinæ penitus nullæ erunt, qvi inevitabiles sunt parvarum arearum defectus. Obsidio qvoqve facilior hosti, & defensio difficilior Arci inde provenit. Fossarum deniqve angustia hinc seqvitur summè noxia defensori, qvam si latiorem habere qvæsiveris; circuitus contrascarpæ tuæ monstrosior majorq ve proportione Arcis tuæ eveniet, nec sufficiet numerus præsidii ad implendum situm viae cooperta circumcirca defendendæ; fietqve, ut externa defendendo, internum corpus areæ penitus milite evanues; aut sine milite, & defensione externa tua hosti relinqvas. Collige ergo breviter parvi fortalitii tui maxima incommoda.

5. VAN. Fortasse eligam situm paludosum, ut difficilior sit hosti accessus. VER. Si non ab hoste, obsideberis à palude. Non tam difficilè ad te hostis accedet, qvām tu ad hostem. Fossa paludosa est sustentamentum pontis natantis, per qvem hostis usqve ad muros tuos per galeriam perveniet, & in mænibus cuniculos ad ejiciendum pulvere vallum adaptet, Cameramqve collocet. Sicca verò Fossa excursionem ex Arce contra hostem non impedit, areamqve dimicationis in Fossa defensori non aufert. Tu verò vis magis clausus esse, qvām securus.

6. VAN. Eligam ergo locum in alto monte. VER. Fortalitium tuum itaqve aëri dominabitur; non terræ. Longè conspicies hostem ab Arce, sub Arce non videbis. Tormenta tua distantiorē hostem malè attingent, vicinum nullatenus. Hostis tuus nullibi erit securior, qvām sub mænibus tuis. Globi tormentorum tuorum cadent in hostem, non jaculabuntur, tantundem tibi erit lapides projicere: si ad radicem montis tui hostis accesserit, commodiū cuniculos excavabit, ut Arcem tuam per ignem ejiciat. Necesse erit, ut alia Propugnacula ad radicem montis

circum circa extruas; habebis que superius fortalitium clavum inferiori fortalitio, ut incommoda montis, & pericula accessionis hostilis effugias. Considera præterea quantum tibi militum circuitus montis, radicis que ejus defendendæ auferet ex Arce.

7. VAN. Ego in plano & aperto loco fabricabo. VER. Hæc propositio tua melior mihi videtur cæteris. Hoc enim modo proprius hostem reprimes, & facilius accedes, sed etiam & ab hoste idem tibi eveniet. Verum strenuo Defensori omne forralitium planum est, & arduum ignavo; nihil tibi proderit fortalitium in plano habere, si hostis per montes transitum quæsiverit. Prius interrogandus tibi est hostis, quod eat, quam de fortalitio judicare, non tu, sed hostis necessitatis judex erit. Nonne meministi Capuam in plano sitam Annibali Cannas fuisse. Nihil tibi proficiet Arx plana, si obfuerit aspera fortuna; nihil proderit pulchritudo mæniorum, nec speculatores ex tormentorum suggestu oculi, si hostis aliò passum converterit, qui si magnum habuerit Exercitum, non metuet fortalitium relinqvere à tergo, & ultra progredi: si verò parvum: non accedet Arcem; ita non voluntas Commendatoris, sed ratio Bellatoris constituet valorem Arcis.

8. VAN. Sed non tantum Arcem, vel Citadellam, sed etiam & totam Civitatem fortificabo. VER. Tu ergo vis, ut video, & hosti dominari & Civibus; Arcem non habebis perfectam, & Civitatem suspectam; ex utraque parte metues de Arce. Magis optarem, ut vel Arcem perfectam haberem, vel Civitatem. Qui Arcem Urbi adstruit, eo ipso de amissione Urbis cogitat. Primus ad perdendum gradus est, de amissione cogitare. Defectus unius areæ penes alteram major videtur, & distractior est semper duorum corporum, quam unius defensio.

9. VAN. Adhuc delibero, figurane regulari, an irregulari, extruendum mihi sit fortalitium. VER. Credo, quod mænibus describes regulam, sed non hosti: regularium arearum expugnatione facilius ab hoste percipitur, ad regularia mænia oppugnanda æquivalius hostis regulatur, & proportionem ab uno propugnaculo, ad cætera æquivaliter capit, sumitque. In irregularibus verò non item: quia ipsa illa angulorum varietas, & inæqualitas linearum,

ma-

magis confundit hostile judicium, qvām docet; unde difficilior aggressionis cogitatio est. Regularitas verò ipsa instruit hostem, nec diversitate confundit. Facilius & utilius est, figuram situi, qvām situm figuræ adaptare.

10. VAN. Faciam pulcherrima opera externa, ne hostis facilis ad ipsa mānia accedat. VER. Hæc op̄era cum proposito tuo non conveniunt. Dicis enim te metuere, ne hostis ad mānia tua appropinqvet, tu autem non metuis, cum mānibus tuis ad hostem appropinqware. Nonnē semper opera externa minora sunt ipso corpore fortalitii, & facilis capi possunt? qvæ si hostis occupet, ferò te pænitēbit, hosti illa, non tibi struxisse. Occupatio verò operis externi, est gradus ad expugnationem hosti paratus, & defensori inde amissio, primæ famæ multum præjudiciosa. Cur ergo vires tuas, qvæs tibi vel maximè connectere expedit, ab extra rescidere cupis? nisi ut celerius hostilibus copiis animum augeas, & diminuas tuis. Qyot enim opera externa amittes, tot parabis hosti victorias, & militem non sine strage continuò fatigabis.

CONSULTATIO VIGESIMA PRIMA.

*De inchoatione Belli offensivi, & diversis casibus
bellandi; Consiliisqve Bellicis.*

I.

VANITAS. Qvomodo bellum incipiēmus? VERITAS Svaderem, ut potius cogitares, qvomodo finietus. Bellator in fine perdit, qvi à fine non incipit.

2. VAN. Opus mihi est Consilio, an hoc offensivum bellum, qvod ex justis prætensionibus incipio, inchoare debeam per obsidionem fortalitii fortioris, in confiniis existentis Urbis; an prius exercitum hostilem prælio aggrediar? VER. Qvære prius, & bene explora, utrum hostis tuus paratus existat, vel imparatus; deinde prudenter concludes, qvid malis prius habere; Regnum ne sine bel-

bello, an bellum sine Regno? si imparatus est; cura, ne sit paratus: Resolve velociter, dissipā copias, impedi congregflus, occupa Regni viscera, affēcūra passus, congrega commeatus, divide inimicum, populum fac amicū, aggredere celeritate, attrahē humanitatē, Præsidīis firma, protege, conserva. Ita non rapies Regnum, sed capies, & sine bello possidebis. Si verò paratus est hostis, vel tempori te committes, vel fortunā. Quid si fortunam seqvi malueris, viribusq; confides, cum hoste præliūm committes; opusq; erit, ut prius sis vates, qvām victor: si verò tempori te commiseris, à Consiliis incipies, diuturno labore & patientiā terras acq̄vires; obsidiones formabis, succursus sustinebis hostiles, obsidens obsideberis inter Arcem & hostem. Tunc eligendum tibi erit, ubi tutius dimicare malis: sub cœlo, an sub Arce. Hoc tamen scito, qvōd nemo obſidet, ut non etiam obſideatur ab hoste.

3. VAN. Occasiones cum tempore mihi suggerent Consilium. VER. Tu potius suggere consilio occasiones, vel si desunt, facito. Magis virile est, fortunam sibi facere; qvām expectare. Acta fortunam faciunt. Qui expectat, negligit. Qui hostem prævenit, dat materiam bellandi, & constituit agendi occasionem.

4. VAN. Sed vellem scire, in qvib; hostem præveniam. VER. Loco & alimento. Primum est, qvod vincimus, aliud, qvo vincimus. Nimirum, terra & miles. Primum occupandum est, alterum conservandum; ex his duob; tota Ars belli dependet.

5. VAN. Ex duob; ergo unum faciendum mihi est, aut acie hostem aggrediar, aut obſidione Urbem. VER. Si paucas copias habes, syaderem neutrum; si magnas, utrumq; illud, ne cum paucis Copiis inveniaris sub Urbe; hoc verò, ut à succurso Urbis hostem divertas.

6. VAN. Occupabo utrumq; littus fluminis, pontemq; extruam, ut ex utraq; parte communicationem belli habeam. VER. Qvare prius ex qva parte fluminis hostis inveniatur. Nam si ex hac est, ubi & tu, hosti terram relinqves, qvam possedisti; vel terga ostendes transeundo flumen, qvōd facilius in transitu pereas. Et dum de alio littore cogitabis, primum deseres. Necessite

cessie erit , ut iterum cogites , qvomodo redeas , vel bellum dividas , qvod conjunctum securius est , qvam separatum ; nisi forte hostem experiri velis , an transitum Exercitūs tui impedire meditetur ; ut ad congressum prælii cum eo faciliorem viam habeas . Considera qvoqve , si hostis à flumine propior vel remotior sit : nam si propter , prius dimicandum tibi cum impediente transitum hoste erit , qvam de transitu cogitandum . Si vero remotior sit hostis à flumine , mensura prius iter hostile , qvo tempore à te distet , ne te in transitu fluminis occupatum aggrediatur . Sed consulerem potius , ut invadens Regnum hostile , statim in principio belli ex utraqve parte fluminis , terram ingrediāre , ne difficilius tibi sit jam parato ad bellum hoste , de altera parte fluminis contendere . Qvia sic facilius hostem distrahes , & cogitationes tuas minus divides , cum bellandum tibi erit . Unde melius tutiusqve tibi erit , ut ante bellum per utramqve ripam fluminis prætensem Regnum invadas , ita , ut utroqve pede utramqve ripam teneas ; & facilius ad qvam partem volueris , bello propendias . Ita facilius fiet , ut progredendo cum Exercitibus ab utraqve ripa fluminis fortalitia plantes , pontemqve extruas in loco , qvi tibi commodior pro rationibus belli videbitur .

7. V A N. Postqvam pontem struxero , tunc transmissis ad alteram partem Copiis , Urbem capitalem ex utraqve parte obsidione stringam . V E R. Obsidionem non dissimdeo , sed simul simulo , ut non tantum de obsidione , sed & de prælio cogites , qvalique modo & Urbi sufficias , & succurrenti hosti . Ex una cogitatione duplex tibi difficultas enascitur , ab una parte periculum , ne cedas ; ab altera , ne perdas .

8. V A N. Si hostis succursum dederit Urbi , ab Urbe non cedam , potius hosti aciem opponam : qvia & obsidioni & prælio parsum . V E R. Sæpè qvos spes pares credidit , fortuna impares ostendit . Melius est bis ad Urbem redire , qvam semel sub Urbe jacturam pati . Prudentissimi Ducum sèpissime elegerunt magistrorum pati . Prudentissimi Ducum sèpissime elegerunt magistrorum pati . Temerarios qvosqve mancavere securitati suæ , qvam fortunæ . Temerarios qvosqve magistrorum puduit solvere obsidionem , qvam perdere Exercitum . Semper compensari petest , qvod distulit prudentia , sed rarissimè , qvod abstulit calamitas .

9. V A N.

9. VAN. Movebo Exercitum uno milliari ad Urbe , acie-
que instruam ad prælium. VER. Ita non armis solum. sed &
civilitate vinces hostem , cum illi obviam iveris ; prudenter ob-
temperabis necessitati , qvæ Magistra est bellandi. Nemo impe-
ravit hosti , qvi prius non paruit. Ergo fausto pede progredere
ad pugnam.

10. VAN. Movebo itaqve Exercitum versus hostem. VER.
Mitte prius exploratores , ut scias de hoste; notitia perfecta de
inimico , media victoria est. Sæpius ignari , qvam debiles perdi-
derunt prælia. Præcipuum in agendo impedimentum semper
fuit , nescivisse. Ignorantia mater est dubitationis , dubitatio
timoris.

11. V A N. Faciam ergo Consilium cum Officialibus , de-
formanda & instruenda acie ad pugnam. V E R. Non dubito ,
qvòd consilium erit pulcherrimum ; delineatio acierum exqvisitis-
sima , figuræ in charta ingeniosissimæ : sed casus consilii difficil-
limi , rationes variantes , opiniones pugnantes ; & tota operis dis-
positio magis ad memoriam localem , qvam ad eventum actualiem
formata ; non aliter , qvam solent facere imperfecti iconum Picto-
res ; qvi fæminas depingunt , contenti magis , si venustiores fece-
rint , qvam sunt ; qvam si similes : Ita & tu pulcherrimam acie
tue frontem talem depinges in Consilio , qvalem non poteris imi-
tari in prælio. Observa etiam si peritissimos saltatores , qvi cho-
rearum figuræ exactissimè addiscunt , eos tamen sæpe , qvam vis
nemine impidente , aberrare contingit : Tu credis te facilius sub
tormentorum ictibus , & pulverum nebulis , qvam illos sub musi-
cali harmonia ordinem figurarum tuarum observare posse.

12. V A N. Locum eligam superiorem , qvam hostis habere
possit ; & ibi illum expectabo cum acie jam instructa. V E R I T .
Quando illum expectabis , non veniet ; sed veniet , cum non ex-
pectabis : sufficiet illi , te ab Urbe removisse. Inveniat etiam situm
tibi superiorem , ubi te expectet. Multi ad convivium non ve-
niunt expectati ; qvæsto rarius ad prælium. Qvosi expectabis
congressum , amittes tempus obſidionis ; si ad obſidendum redieris ,
illi te aggreditur. Nescit Bellator tempus pugnæ , qvando illi
super-

supervenerit; Si sciverit, nulla fortuna erit: qvia occasiones præliorum solâ Deorum destinatione eveniunt. Qvamobrem si hostis aliò vertet, & tu fitum mutabis: si tu ad Urbem, ille ad te redibit; si tu ab Urbe, ille à te removetur. Sine armis vincit; qvi tempus aufert aggressori. Unde ne tempus perdas, bellumqve amittas, primò mensura vires tuas, utrum in duas partes dividere Exercitum tuum valeas. Nimirum, ut uno Exercitu hosti in campo insistas, altero obsidionis sufficias. Ita hostem ab impedimento obsidionis amovebis, qvia nec Urbem succursu suo petere audebit, ne inter duos Exercitus claudatur. Satius prælium, qvod desideras, tecum committe. Si verò duo corpora exercitū separata habere non poteris, ut uno obsidionem promoveas; altero hosti prælium opponas: tunc satius ab obsidione te amove, & conjuncto in unum exercitu, hostem pete, congressum qvære, ut pugnâ devicto securiùs obsidionem tuam formes, ac sine metu succursus certius commodiūsqve Urbem possideas.

13. VAN. Sed nuntiatur mihi per exploratores, hostem hodierna nocte ad aliam partem fluminis transivisse. Unde lator plurimum, qvòd hostis recesserit, signum enim est metūs illius infallibile. V.E.R. Ego verò miror plurimum, te inde lètari, unde contristari debes. Video enim inde prudentiam hostilem, qvod distulerit illa, qvæ tu optas. Nulla enim major prudentia in Bellatore appetet, qvàm experiri, qvæ hostis desideret, & qvæ metuat. Qvæ cum tu metues, ille optabit. Tu cupiebas conflictum, ille negavit. Non hoc signum est metūs hostilis, sed maturioris Consilii, & novæ alicujus & validioris cogitationis. Vereor enim, ne hostis cum auxiliaribus Copiis Principis amici sui conjugatur, qvibus collectis transeat iterum flumen, ut fortior te aggrediatur, vel commeatum omnem (provisa Urbe) auferat tibi; ut cogaris ex defectu alimenti aliam terram qværere, & exercitum tuum continua defatigatione extenuare;

& ut ille interim semper majores vires acqvirat, tqve longitudine temporis exhauriat. Tempus enim sibi dat, qvi hosti aufert: momenta, qvæ effugiuntur, validissima sunt. Et nihil magis hostile judicium confundit, qvam insperata actionis mutatio.

14. VAN. Qyod timebamus, evenit, nimirum: qyð hostis ex altera parte fluminis cum Copiis auxiliaribus Exercitum suum conjunxit. Qyid ergo agendum est? & utrum ad alteram partem fluminis transeundum cum exercitu, hostiique occurrentum, an ex hac parte expectandum? V E R. Dicebam, melius hosti insistendum erat, qvam Urbi. Facilius est devicto hoste Urbem obsidere, qvam armis & tempore firmato bellum proseqvi. Regnum alienum qværentibus, hoc vel maximè cavendum est, ne prius de terra, qvam de hoste cogitent. Defensore sublato ipsæ Urbes patescunt: Primum Victoris studium est, Campus, ultimum, Porta. Fortunam extendere oportet, non claudere: cogitandum tibi erat prius, qvid hostis faceret, qvam qvid tu. Non potuit invasus aliud, qvam auxilium qværere. Studendum erat, ne qværeret; aut impediendum, ne haberet. Semper dixi: transitus fluminum raro non magnorum moliminum indicia sunt. Nunc cogitandum est, an flumen transfeas, vel hīc hostem expectes: prudentius tamen manendum hīc existimo. Ex hac parte fluminis jam virium tuarum certus es; ex altera non securus. Magnus fortuna tua mediator fluvius esto, major moderationis & patientiae Magister, maximus expectandæ ab hoste doctrinæ Consiliarius. Melius tibi, unius ripæ Possessorem fieri, qvam utriusqve ambiguum. Periculosis est, ad hostem transfire per flumen, qvam ad flumen hostem expectare. Illius labor, tua doctrina erit. Quantum virium habeas, jam ille novit; tu adhuc ignoras, quantum illi accesserit; ita video, ex utraqve ripa fluminis alter alteri arbitrium dabitis; qvis prior vestrūm transfire malit, & ab alio doctior fieri; tu tamen cogita, ne otiosus hīc

mane-

maneas. Pondera modos sustentamenti Exercitus, ut alimenta habeas, qvæ sufficient: qvod si virium non satis est; adauge copias, tracta cum vicino Principe, ut hostilis auxiliatoris ditiones invadat, copiasqve auxiliares ab hoste divertat, vel si opus fuerit, tibi suppeditet. Sed satius, si tuis vales, alienas, ne qvare manus; formidolosæ enim sunt, nihilqve tam infirmum, qvam potentia alienis viribus innixa. Satis tibi erit dominium primo impetu usqve ad ripam fluminis extendisse: qvod jam occupasti, cautus tene: qvod nondum, patientiâ habere disce. Magnis conatibus nunqam fida socia fuit fortuna velox: Tu satis curabis, si ex hac parte fluminis, qvod subjugâsti, tenueris, hostem ad te transfire non permiseris, exercitum servaveris, dominium firmaveris, de hoste plenam notitiam habueris. Interim prudenter cessa. Sæpe intutum est, longiores alas rebus, qvam temporibus dare;

CONSULTATIO VIGESIMA SECUNDA.

De Causis Pacis, & Tractatu ejusdem.

I.

VANITAS. Delibero, an debeam bellum continuare, vel contentus acquisitione eorum, qvæ jam teneo, pacem amplecti. VERITAS. Melius est & facilius, tunc pacem facere, qvando tu vis; qvam expectare, ut hostis nolit. Pax est, qvæ confirmat & ratificat acquisitionem viatoris. Nihil optabilius est, qvam sepe possidere, & citè pacisci. Extenuari solet fortuna longitudine temporis, & sicut filum nimis extensem, ex improviso rumpitur, dum nimirum extenditur; firmiorqve est fortuna, qvæ trahit, qvam qvæ trahitur.

G 2

2. VAN.

2. VAN. Sed nullam habeo adhuc causam qværendæ pacis, cum sim superior armis, qvam hostis. VER. Satis causarum pacis invenies, si miseras & incertitudines bellorum ponderaveris, si de te cogitaveris, ut de hoste; si judicaveris, qvam exitiosum sit, nolle temperare felicitatem. Videte vos omnes, qvi tam intense, ac impense proficere studetis in hac vestrâ Reguorum mercaturâ! non possidetis, sed commutatis terras; acqviritis; tanquam redditis, tanquam recepturi: vel tanquam Mercatores, qvi suas merces nunquam sine damno diu retinent, & non sine lucro citò expediunt. Incertæ ac instabiles sunt Victorum potentia & feliçissima bellorum momenta, qvæ primis ausis instar juventæ floruerunt, ipsa temporis laſſitudine velut senio marcescunt. Nec satis est, te superiorem armis videri, ut continuo in culmine fortunæ confistas; qvia omnes intensi Bellatorum sudores similes sunt in balneo sudantibus; ubi qvantò qvis superius confederit, magisqve sudaverit, tantò citius descendit; ascenditqve alter, ut pariter sudet: ita omnia magno sudore parta, ab imminentि vicissitudine frigescunt.

3. VAN. Nihil adhuc metuo, qvod me inducere possit ad faciendam pacem. VER. Ne seqvaris necessitatem; prævenias prudentiâ: utilius pacem facies, dum fortuna est tua, qvam cum fuerit aliena. Inter causas pacis, turpissimus est metus. Tempestivè casus prævide, ne ferò metuas: semper apud miseris ultima est pacis causa, adversa fortuna. Gloriosius pacem dare, qvam accipere. Causas qværis, qvæ te inducere possunt ad faciendam pacem? prius qvære effectus belli, prudentius ex fine causas disces. Inqvire tecum, an in solido fundamento bellum inchoasti, & an victoria tua non fit tibi invitamentum deterioris fortunæ. Revolve, qvot Vicinos habeas, qvi fortunam tuam torvo oculo aspiciunt; qvi adversarii tui potentiam erigere malint; qvam metuere tuam: qvibus progressus tui existimabuntur adversi, qvia nimii, & ex eo suspecti. Apud vicinos enim Principes idem

cen-

censetur , fortunam diminui suam , qvām excedere alienam .
Inde virium tuarum diversiones expecta , incursions in ter-
ras tuas , divisiones armorum tuorum , succursus hosti tuo
venturos ab iis , qvi ex re sua ducent ponderare felicitatem
tuam , & potentiam coeqvare cum aliena . Hinc tibi prove-
nient incommoda emolumenis superiora , & magis semper
ardua , & perspē infuperabilia obstacula ; distantia bellandi ,
& locorum pericula ; victualium penuria ; lassitudo ac tedium
militis : & divisus in diversa belli studia exercitus . Unde
qvot partes armorum in se divisæ , tot dubia consiliorum ,
& perplexæ ac periculosa resolyendi belli difficultates ena-
scuntur .

3. VAN. Sed vellem scire , qvæ mihi occasio erit faci-
endæ pacis , ut mihi sit & honesta , & utilis . VER. Arduos
qvidem pacis effectus in duabus conditionibus difficillimis
Posuisti ; nimirum , honesto , & utili ; qvod utrumqve apud
optimos qvandoqve rarissimum , apud pessimos semper im-
possibile est , adeo , ut sicut virtus honestati , & fortuna utili-
tati famulari solent , raroqve inter se conveniunt ; ita & virtus
ab utilitate , & fortuna ab honestate , remotissima sint . Tu
verò ut occasionem pacis pallio honestatis pulcherrime ve-
stias , indue æqvanimitatem . Inter ultimas hostium rationes
speciosissimum est necessitatis nomen . Mediatio amici , nun-
qvam inhonestus titulus æquitatis : nihilqve in tractatibus
honestiū evenire potest , qvām de eo , qvod ipse maximè velis ,
ab amicis rogari . Cū vires deficiunt inimicorum , incipiunt
preces amicorum .

CONSULTATIO

VIGESIMA TERTIA.

*De acceptanda Mediatione Pacis, & circumstantiis
in ea necessariis.*

1.

VANITAS. Offert mihi mediationem Pacis cum Adversario meo, Princeps Amicus meus, & Vincius. VER. Prius illum, an æquus Mediator, considera; an verus Amicus, proba; an bonus Vincius, experiare. Ego enim vereor; ne malit potius esse potentie ac fortunæ tuæ Moderator, quam inimicitarum vestrarum Mediator. Vincius enim qui offert mediationem vicino victori, ostendit se vicitorias ejus ægrè ferre: quia mavult concordiam utriusque, quam potentiam unius videre. Hoc semper observavi: quod bellis amicorum solent gaudere vicini, quamdiu illos inter se pares fortunâ judicant; ubi unus eorum successu nimium antevenerit, tunc mediatio, speciosissimum litoris nomen, assumitur.

2. VAN. Venit ad me Legatus ab Amico cum propositione Pacis. VER. Credo facile, quod optet te potius pacificum vicinum habere, quam fortem. Quia debiliorē te facere non potest, curat saltem fieri æqualem. Hoc semper commune est Principum amicorum inter se, quorum vires viderint majores, eos fibi maximè suspectos, mediante pacis operâ, quam honorificentissimè disarmare velle.

3. VAN. Audiam prius, quid Legatus iste mihi proponet; ut possim deliberare. VER. Non dubito, quod audies ab illo multa magnifica, & inania; magna lumina verborum, & majora nubila rerum; speciosa, indirecta, conditiorata, supposita, arguta, tentativa, plausibilia, affectata, facunda; plus argumentorum, quam documentorum sonantia; uno ver-

verbo: tanta, qvanta Legatus potest dicere; vel qvanta Princeps sperare incantus: ad qvæ omnia audienda cuperem hoc maximè, ut tu & adversarius tuus, commutaretis aures inter vos, æqvè ut Midæ longissimas, qvibus & ille, qvæ tibi ab eo dicta sunt, & tu, qvæ illi ab altero, pariter audire possétis: qvæ conformia, qvæ dissona, si ambobus vobis eadem, aut ab alterius dictis aliena intelligeretis, tunc certus sum, abjecturos vos sponte omnes hostilitatis vestræ austertates, & amica fronte odia in risus absqve ullo Mediatore conversuros.

4. VAN. Sed tamen intelligam ex dictis ejus tenorem propositionum, & penetrabo sinceritatem. VER. Metuo, ne ambo inter vos, aliter intelligendo verba, ipsam rem non intelligatis, aut si intellexeritis; videamini non intelligere. Et sic dicta erunt clara, sed facta obscura. Multi enim tractatibus, ne prætensiones in pérpetuum excludant, conditiones consultò obscurant; malunt enim esse verborum suorum interpres, qvām evictores. Qvia tutiùs est qvædam non expressa reservare, qvām expressa clare concedere. Et sic tractantur sàpe incertissime aucupia Regnorum.

5. VAN. Liberum mihi erit deinde non acceptare conditiones mediationis, si mihi non placuerint. V E R. Ne qvāqvm, utrumque enim duco periculose: & præcociter Mediatori annuere, & serò ab illo revocare sperata. Vereor qvippe, ne, dum mediatorem amittes, hostem facias: & in partes adversarii tui apertè ac necessariò impellas. Sàpe enim fit, ut mediator, cui non succedit divertere potentiam vicini mediatione pacis, eligat potius colligari cum parte debiliore, qvām expectare formidolosa semper, & suspecta à vicino potentiae pericula. Satius itaqve existimo, parere amicitiæ, qvām necessitati; & credere, qvæ optas, ne videaris ostendere, qvæ metuas.

6. V A N. Destinabo ergo Commissarios, ut feliciter incipient Tractatum Pacis. V E R. Non dissimulo, ut incipiant

piant (& ut ais, felicissimè) dummodo possint etiam qvàm honestissimis verborum mendaciis populum à bello salvare.

CONSULTATIO VIGESIMA QVARTA.

De Tractatu Pacis, & Conclusione utili & proficia.

1.

VANITAS. Jam Commissarii mei inchoaverunt Tractatum Pacis. VER. Optimè: dummodo tractent & concludant, non tantum qvod est commissum, sed & qvod permissum. Scimus enim (ut ait Plautus) qvo pacto soleant perplexarier: pactum, non pactum est, non pactum, pactum est; cum illis lubet.

2. VAN. Primò consilium meum reqvirunt, an debent ostendere generalem Plenipotentiam, vel in aliquibus punctis illam reservare. VER. Ego tamen certus sum, qvod magis tuam potentiam aspicient, qvàm illorum Plenipotentiam: majorem fidem vires, qvàm verba invenient. Dolosè tractantibus magis plena fiducia semper deest, qvàm Plenipotentia. Nil valet ostendere commissa, si non servabuntur promissa. Ego nullum commodum inde puto, diu in Plenipotentia morari: satis enim hominum in bello perdidimus; hoc adhuc deest, ut perdamus & tempora. Plus docet conditio & status victoris, qvid permittendum sit, & qvid cedendum, qvàm zelosissima folia Plenipotentis. Citò ostendant, ut citò, possideas.

3. VAN. Secundum punctum est ad resolvendum; utrum illis cedere possimus aliquid de acquisitis. VER. Meo iudicio interrogandi quoque & illi sunt; si & illi nobis cedere

cedere possunt aliquid de nondum acquisitis. In litigando ille solidius respondet, qui tenet. Deterior pax est vel ipso bello, quae parta cedit, quam quam amissa concedit. Ita melior esset & felicior hostilitatis conditio, quam amicitiae; si illud tanti sudoris emolumentum, quod non unus labor dedit, una pax eriperet. Nunquam justè restituitur, quod difficilè paratur: quia acquisitio victoris, merces est virtutis.

4. VAN. Hoc credo illis posse permitti, ut ad hanc fluminis ripam confinia nostra extendantur. VERIT. Ego autem credo, quod limites vestros si novæ cupiditates mutaverint, nec flumina custodient; effluent, cum tempore & pacta, si rapidior erit flumine voluntas: illeque plus altero terræ possidebit, qui plus erit contentus suo. Immane est, plus credere flumini, quam fidei. Nihil incertiū est & instabilius, quam confinia inter non contentos.

5. VAN. Montes quoque per medietatem constituent limites, & pars sylvarum dividetur. VER. Optimè, ut sciant & Sylvani & Monticolæ, quousque vestra cupiditas pervenerit; & quod nec DEUS, nec natura divisit, vos scindere presumitis. Illi locorum termini certissimi vobis erunt, quos moderatio & æquitas assignabit, non quos possidendi desiderium ostendet. Quid prodest loca describere limitibus, si eventus rerum non possumus imponere temporibus. Hæc duo simul respice: Quantum, & Quandiu. Quantumque plura sibi auferre solet, quam tribuere nimius possidendi amor: quia alienæ rei acquisitio, coniunctum propriæ periculum facit. Ostendam tibi, quæ limites tuos perpetuò custodian; non extorta vicinitas, sed jucunda; Possessio non erecta, sed diu oblivioni data; non viator terra Dominus, sed immemor extranei hæredis colonus; terra non armorum injuria parata, sed avorum antiquitate relicta. Hæc sola regnorum tutissima confinia sunt.

6. VAN. Fortalitia aliqua demolientur ab utraqve

parte, & duo tantum in alio passu erigentur. VER. Et haec perplexissima pacis conditio mihi videtur, mutare loca, non occasiones bellorum. Fortalitia, qvæ dirues in uno loco propter concordiam, fabricabis in alio propter discordiam. Transferentur tantum offensionum lapides, non cessabunt. Probabitis inter vos, qvis vestrū muris durior sit. Et ubi de novo surgent castella, denuò resurgent & castra; bellum-qvæ ad vos his gradibus redibit: Primò, certabunt inter se subditi, deinde Gubernatores, postremo Domini. Non panis, non merces, non annona, non pascuæ alterius grato oculo aspicientur; nihil erit uni provisum, qvod alteri non sit invisum. Credo, si fieri posset, non communem aërem esse hominibus, qvod in eo etiam fortalitia appendere qværeretis. Imponite frena cupiditatibus, non passibus; fortiores erga vos animos, qvām arces habere. Una sit æqvitas amborum, haec magis inter vos pacem cavebit, qvām fortalitia duorum. Sed video, qvod hi Mediatores vestrī magis laborant, ut bellum inter vos illis suspectum finiatur, qvām vera amicitia conservetur. Qvia aut metuunt, ne ad illos fortunæ incommoda perveniant, aut malunt fortitudines vestræ ac debilitates, interposito pacis intervallō metiri: solent enim Principes suspectis oculis vicinorum certamina intueri, qvando vel adhærere parti periculose ducunt, vel otiani dedecorum & inutile. Unde ancipites, pallio pacis alienæ, formidinis suæ arcana operiunt. Qvamobrem raro in mediationibus respicitur, ut solida pax firmetur, dummodo suspectum bellum dissolvatur. Sed non minus respiciendum est, qva securitate pax stabiatur, qvām qvomodo bellum finiatur.

7. VAN. Non potest esse major securitas, qvām cautio Mediatorum, vulgo Garantia, qvæ mihi dabitur ab illis. VER. O qvām importunissimum remedium! qvanta servitus coactæ amicitiae & voluntatis! ex respectu alieno amicitiam retinere: ne unus hostis habeatur, præparare fibi secundum:

non

non satis tibi obfuit unus hostis, ut velis iterum habere duos. Qvæ amicitia vestrū erit? cuius fides non ex animi vestri arbitrio, sed ex alterius metu æstimabitur; ô qvām pulcherrimum securitatis propriæ innodamentum! nullum ad se habenti, dare prætextum. Cogitandum ergo vobis est statim & de secundo mediatore, qvi bellum, qvod inter duos actum erat, inter tres componat. Sape enim evenit; qvod illi, qvi non habent intrandi causam in terram alienam, qværunt fiere mediatores, ut cùm illis opus fuerit, fiant irritatores; deinde (cujus parti magis proderit) vindicatores, ac postremò rerum usurpatores. Ego infelicem illam prorsus amicitiam existimō, qvæ externi arbitrio regitur. Vultisne potius eqvorum non hominum more adinvento freno, ab aliis ad amicitias duci? securitatē inter vos qværitis: ne scio cur firmorem alieno ingenio, qvām vestro. Ergo majoris auctoritatis & respectus apud vos censembitur ille, qui vobis fidejusslerit, qvām qvi vobis fidem servaverit? qvomodo alienæ virtuti creditis, si vestræ diffiditis? Si veram securitatem vestræ fidei habere vultis, credite potius constantiæ vestræ, qvām alienis promissis, & veram pacis securitatem, certiorem à propria fide vestra, qvām ab ipso fidejussore expectate.

8. VAN. Nonne melius esset juramenti Sacramento, qvām fidejussione Mediatorum Articulos pacis assicurare. VER. Credo, qvod melius, si magis timueritis D E U M, qvām homines. Fidejussores persæpe & falluntur, & fallunt, D E U S autem nec fallit, nec fallitur unqvm; qvod vobis fortassis non placaret: video enim, qvòd non vultis utilitates vestras, æternitatis pretio mensurare; qvia minus vobis videtur, contineri conscientiâ, qvām manu. Ut bene examines tecum, juramentonè an Garantiâ obfirmare pacta tua debeas? elige apud te prius; quem decipere malis, D E U M, an Fidejussorem? aut consentire, ut unum ex vobis, aut

ambos vos decipiatur Fidejussor. Duo enim ex teimero juramento solent provenire mala , ut ait Sophocles : Culpari amicis , & Deos offendere. Si ea juraveritis , ad qvæ tenemini , præstandum magis est , qvam timendum; si verò illa , ad qvæ non tenenini , qvomodo servabitis ea , qvæ servare non tene- mini ? nonne sufficit probitas vestra ? non adsciscite Deos ignorantias mortalium : sed ut promissorum fidem habeatis ; tales Orbi appareatis , ut magis vobis ipsis , qvam ipsis jura- mento credatur.

CONSULTATIO VIGESIMA QVINTA.

*De Status Regimine tempore Pacis , & ordinatione
rerum necessariâ.*

1.

VANITAS. Jam pax conclusa est , qvid faciemus ? & quo- modo res statūs ordinabimus ; VER. Pacem fecisti , sed non habebis , si cum hostibus tantum , non tecum. Pejores sunt adversarii pacis , qvam belli : animorum , qvam armo- rum. Et sicut ægritudines capitis graviores sunt & pericu- losiores , qvam manuum & cæterorum membrorum ; ita si caput pacem non habebit , qvod tu es , tunc & totum regni tui corpus secum dissentiet . Qvodsi veram & perfectam pa- cem habere volueris , maturè illam ab otio distingve , ne Regnum , qvod virtute & labore ampliasti , sub svariissimo pacis vocabulo per ignaviam amittas. Pernicioſiſſimum Virtutis & securitatis venenum est , desidia ; si cessavit cum bello labor , inchoabuntur graviores cum statu curæ ; cogi- tandumqve tibi est , ne alios hostes non habendo , facias tibi ci-

cives; s^ep^e mala, qvæ bellum & labor diu frenavere; repente laxavit vitiis, imminens virtuti exitiosa torpedo.

2. VAN. Jam non erit mihi opus exercitu; unde melius existimo exauctorare Copias, qvam cum magnis impensis frustra alere. VER. Si fortitudini tue & securitati renuntiasti cum bello, exercitum dimitte: inter præcipua pacis studia pulcherrima omnium ars est, commodè vires servare, nunquam amittere; vides, qvod fortissima animalium ipsa docuit Gubernatrix natura, ungvibus uti ad prædam, & post prædam tamen servare. Et turpe eadem natura judicavit deesse dentes etiam mordere nolentibus: Nonne Arsenalia & Pyrothecas servabis etiam finito bello? arma qvoque & machinas bellicas non alienabis, tanquam servitura? Militem verò, nobilissimum Imperii tui decus, populi tui robur, & publicæ securitatis brachium, tanquam minus necessarium existimas. Duabus ex causis vel potissimum militem tibi necessarium esse censendum est. Primum, ut nunquam metuas; deinde, ut semper metuare. Ut enim turpe est sine nobilitate Regnum, ita & indecora sine armis Nobilitas. Nemo putatur æger, nisi viribus destitutus. Et sicut prudentes Medici statum ægroti illi melius curant, qvi vires conservant, qvam qvi multa pharmaca porrigunt; ita status Regni tui melius valebit, bene ordinatis viribus, qvam multis & perplexis juribus.

3. VAN. Exauctorabo Exercitum, qvia modò miles non est mihi necessarius. VER. Non tantum servandum est, qvod necessarium, sed qvod necessarium esse potest; necessarium verò illud semper est, qvod non semper haberi potest: Milites boni difficile sunt, difficilius efficiuntur, difficillime inveniuntur. Si dimittes Exercitum, amittes robur, perdes famam; non pacem coles, sed inertiam; & vires, cùm opus tibi fuerit, non habebis. Extingventur arma instrumenta Virtutis, ex qvibus Nobilitatis decus, & Patriæ securitas.

Nunquam magis timendi sunt hostes; quam Pacis tempore. Sereno cœlo commodius est aucupium, & quiescentibus in aquis certior est piscatura. Sponte metuenda sunt mala, ne illa inviti timeamus. In pace quietum te esse volo, non imparatum; ita pacem cole, tanquam subito pugnaturus: hoc unum in pace felicissimum est, posse retinere vires, nunquam amittere: & ita amicis pacem servare, ut non necessitati amicitiam nostram debeant, sed virtuti.

4. VAN. Credo, quod amore pacis stabilitæ, Status Regni quietem omnem amplectentur; ideo non mihi erit difficile pacatam habere Rempublicam. VER. Imo nihil magis arduum, quam felicitas sine excessu, gaudium sine protervia, securitas sine desidia, abundantia sine luxu; & quietis fiducia sine periculo. Secum pugnare solent, qui hostem non habent. Nunquam contentus est populus in felicitate nimia constitutus; possibilis est infelicem juvare, quam coercere felicem; qui hostem non habent, Principem accusant: æmulatio, quæ cum Adversario cessat, intra se ipsos exercetur. Unde cogita, & prudenter provide, ne mala, quæ cum hostibus defierunt, cum Civibus incipient: ac imprimis paratus esto minimè turbari accusatione populi. Qui enim nulla mala sentiunt, student querere, quem accusent. Unde si Rempublicam in pace quiete regere cupis, non graveris reddere rationem etiam bene factorum. Cave quoque nimis Legibus circumscribere statum: varietate enim Legum simplicitas Justitiae tollitur; quam sublatâ, fundamentum Regiminis subvertitur. Nunquam enim evertitur Libertas, nisi prius contemnatur justitia; & cum justitia cadit Majestas, cum Majestate timor; cum timore pudor & pietas, deinde sequitur pessimus licentiae fructus, ipsa Libertatis amissio.

5. VAN. Cunctos (ut ait Historicus) dulcedine otii alliciam ad obsequium & obedientiam. VER. Semper secum cognata sunt mala, otium & vitium: solo labore virtus,

vir-

virtute vera felicitas paratur. Cogita potius, qvibus artibus in otio populum occupies, ne perversa & abrupta contra te machinetur. Fortior enim esse solet in otio contumacia. Si vitiis populum occupabis, lucraberis proprium semper neqvitiae fructum, insolentiam; ex otio enim vitium, ex vitio neqvitia, ex neqvitiis insolentia, ex insolentia temeritas & seditiones nascuntur. Vide ergo qvām amarum finem habeat otii tui dulcedo, qvām felicior est amara virtus, fvari abusu felicitatis.

6. VAN. Qvibus ergo modis divertam populum à licentia. VER. Inprimis rigore Legum, disciplina Universali, & authoritate Magistratum. Prius semper negliguntur vicia privatorum; deinde in publicum erumpunt. Exempla impunitatis magnum jus tribuunt sceleribus, & deinde eversioni Reipublicæ. Facilius supprimuntur mala, qvæ in recenti emergunt, qvām qvæ longo peccandi usu invaluerunt: nihil in principio negligendum est in malis, ne dilatatione pœnæ ex crescant, & justitiae moræ invalescant; unde licentiae malum melius in privatis amputa, anteqvam flagitia publicum sibi nomen nanciscantur. Postqvam solidaveris justitiam, & cum ea authoritatem publicam; florem Militiæ elige & conserva, & conservatum exerce. Et ne otio torpescant, satius bellum invenias, qvod tibi proft, qvām ignavam pacem habeas, qvæ sibi obsit. Nullum enim magnum Imperium diu sine bello stare potest, & Pax magnorum Regnorū nil aliud est, nisi commutatio incommodi belli, in commodius; vel dispendiosi, in utilius. Qvia nec Virtus sine Adversario, nec summa potestas sine armis, nec arma sine exercitio, nec exercitium sine bello, ullatenus subsistere possunt. Ita miseri sunt, qvi bello, qvām illi, qvi invidiâ carunt.

7. VAN. Finaliter cuncta negotia Reipublicæ ad Senatum referam, qvia sic minus invidiæ habebo, & plus sociorum ad laborem. VER. Speciosissimum propositum imperfecte

fecte concludendi, ut nihil eorum fiat, qvæ consulueris. Tyberius, maximus erat destructor Consilii cuncta ad Senatum referendo. Promptissimus Consilii est modus, necessaria citè facere, justa non differre; & qvæ lex jussit, continuo exeqvi; ipsum Consilium inconsultissimum est, qvod necfariam differt actionem. Qvæ referenda sunt ad Senatum, illa sic distingue: nimurum; qvòd alia sint referenda Senatui, alia referenda ad Senatum. Qvæ utilitatem publicam spestant; prius facias, qvam referas; qvæ tuam, prius referas, qvam facias. Cætera Consiliorum fortuita & vana sunt, qvæ ex sorte ingenii, & ipsa rerum vicissitudine mutantur.

